



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn


Pia Desideria

Hugo, Hermann

Mediolani, 1634

urn:nbn:de:hbz:466:1-43734





1782

240. BLK





PIA
DESIDERIA
Authore
HERMANNO HVGONÉ
Societ: Iesu.

Carolus Blancus F.

MEDIOLANI.
Apud Io. Baptistam Bide'llum id 74

1632. ij. Cal. Nouemb.

Imprimatur denuò.

Fr. Franciscus Carenus S. T. Lector, &
Commis. S. Officij Mediolani.

Io. Paulus Mazuchellus pro Reuer. Ca-
pitulo sede vacante &c.

Comes Maioragius pro Excellentissimo
Senatu.

D.

In



ect.
sim
sun
fer
re
ass
od
qu

Ill. mæ ac Reu. mæ Matri

D. ANGELICÆ LVCRETIÆ

MARIÆ SFONDRATÆ

In Sancti Pauli Cœnobia Priorissæ
vigilantissimæ.

Io. Baptista Bidellius. P. P. F.



RITA DESIDERIA è typis
Romam aduolata & ut Pietatis
Archetypi Sanctissimi D. VRBA-
NI VIII. pedes oscularentur: diu
Roma redeunt ad typos, ut denuò
ectypa fiant. tua maxima pietate foueri (Religiosis-
sima Heroina) se totis desiderant, quæ desideria
sunt: precantur humillimè, quæ pia. Quod olim
ferebatur in Vrbe Romana Pietatis templum, nūc
religiosiori pro cultu purissimum tuum pectus
asseueratur; ubi pia calenti desideria, adolentiq. in
odoris suauitatem. Pium est, quod meditaris,
quod agis: & quæ onera sustines, exerceas opera

A 2 pie-

pietatis. GREGORIANA pietas est, quae iam
 uniuersum diffusa per orbem, breuioribus inde
 conclusa limitibus, toties purpurata: nunc lineo,
 & laneo pallere amictus gestit, Angelicis decorata
 nominibus, quae mores pariter Angelicos expri-
 mant, expromant. Quae mea verò in te pietas est
 (aequè semper in omnes Sfondrata familia Heroes,
 & Heroinas) hanc Pia ista desideria, utinàm,
 valeant attestari. Quod si ab illa humanitate,
 quae tuam comitatur pietatem, facile (ut mea spes
 est) obtinero, pijs desiderijs satisfactum videbo.
 Vale, ac aeternum vive.

SAN-

5
SANCTISSIMO

D. NOSTRO

VRBANO

OCTAVO

PONTIFICI

MAXIMO.



VI secundum Deum PIA DESIDERIA, nisi desiderio orbis Christiani, Tibi, inquam BEATISSIME PATER, dedicarem? Certè videntur Diuina huc quadam designatione destinata, quæ iam dudum Tibi olim Cardinali, maximo literatorum Patrono, à me fuerant tacita cogitatione consecrata.

Iam quidem Sacra Tua Pontificis Majestas tantum deterebat, quantum nuper MA-

A 3

PHÆI

PHÆI CARDINALIS BARBERINI notissima humanitas inuitabat: ambitiosus tamen hic libellus meus, omnibus DESIDERIIS suis, amplius etiam Pontificis quàm, Cardinalis patrociniò vindicari expe-
tebat.

Venit ergo suo sibi argumento, cultuq; diffidens, Tuarum verò Virtutum inuitatu audax, ne dicam inuerecundus. Vt optaret, Tuus in literas meliores amor impulit, vt auderet, VRBANI nomen suafit; vt timeret, sua infantia, Tuaq; summa eruditio fecit. Urbanitatem, cum BARBERINVS esses, expertum se prolixissimè indicabat Carolus Scribani noster, oblato nuper Prodigio suo. Amorem in literatos omnes & publica fama loquebatur, & confirmabat testimonium Tarquinij Gallutij, qui inscripta Tibi suarum Orationum præfatione narrat: *Ita Te solitum eos excipere, qui Musis hisce mansuetioribus delectantur, vt exterorum prope nemo Romam ingrediatur, qui Te non conueniat, conuentumq; sic admiretur, vt palàm pronuntiare non dubitet, vnum Te esse, cui, si facultas daretur, voluntas etiam esset, fugientes literas à situ atque ab interitu vindicandi.*

Eru-

Eruditionem denique etiamnum testantur
 politissimorum poematum Tuorum immorta-
 lia monumenta .

Etenim **VRBANE PONTIFEX MA-
 XIME**, (quod sine adulationis nota deprædi-
 cant omnes).

Seu per audaces noua dithyrambos

Verba deuoluis, numerisque ferris

Lege solutis;

Seu Deum, Regesq; -----

Concinis maiore plectro;

Multa te cælo leuat aura Cycnum .

Et quid ego, ad aras Tuas, semipaganus affe-
 ram, quæ

----- *Apis Matina*

More modoq;

----- *operosa paruis*

Carmina finxi?

Hic metus, ne Marsyæ calamitate multarer,
 ad rudiores aures trepidantem relegabat, cum
 denucè blandissimi nominis Tui venit in men-
 tem, plusque ab **VRBANO** sperare iussit,
 quàm Marsyæ licuit ab inurbano Apolline.

Cogitabam præterea excusari me queque
 temeritatis posse; si venissem, non quasi inter-

A 4 pella-

3
pellaturus sacratissimas *Tuae Beatitudinis* curas, reuocatione studiorum iam pridem depositorum, sed valedicturus tantum. Sic enim intelligebam, ad factum Conclauē (cū in eo degeres Pontifex designandus) aduolasse apes (Musis olim sacras) cellasq; suas, haud procul fenestra Musae Tuae construisse; non alio, ut ego quidem auguror portento, quā quasi valedicerent Phœbo suo; prædicerentq; Maiorum tuorum ceras, insigniaque abs se expressa, deinceps Pontificiæ Tiaræ velut sacro alueari supponenda.

O vaticinium cœlesti omine designatum, euentu certissimo approbatum! Quamquam non apibus modò natura sua diuinantibus, verum etiam cuius vel crassissimo auguri, longè facillimum fuerit præsentire, Pontificem Te Maximum futurum, prius quā factus esse renunciareris. Certè enim maxima virtutum Tuarum decora, eruditionis, rerumq; abs Te gestarum fama, ita orbem peruaserat vniuersum, ut prius Pontifex Maximus, omnium esses acclamatione factus, quam Purpuratorum Patriam sententijs dictus. Nimirum iam Pontifex eras, sed Oraculo tantum sanctissimi illius

Se-

Senatus designandus. Et ne meritis testimoniū deesset, calculis quinquagenis; quaternis præterea reliquis (qui soli desiderabantur) eligendus, nisi humana potius quam Diuina conspiratione id factum credi potuisset.

Permitte igitur, BEATISSIME PATER, vt qualem Te per omnem retro vitam præstitisti, qualemq; admirati sunt plurimi, Omnes aliquando orbe toto noscant, venerenturque. Non equidem par Maieitati Tuæ pictor sum, sed (quod Modestiae Tuæ scio gratius fore) angustâ tabella Magnitudinē Tuam (vt ille olim solo pollice Cyclopem) aliquatenus adumbrabo.

*Ignosce nostri laesus obsequio styli,
Amoris hoc crimen tui est.*

Sacra Hebraicæ linguæ adyta studiosus indagator penetrasti. Attici sermonis peritissimus, mella loqueris.

----- *Dulcius illo*

Melle, quod in ceris Attica ponit apis.

Inter Latinos, ita chorum ducis, vt sanctissimos Pontifices Damasum, Nazianzenū, Orientium, Ennodium, Ambrosium, Paulinum, Prosperum, Sidonium imitatus, sermonem elegantissimis

tissimis, ne dicam prope diuinis, numeris alligaris.

Venio ad honorum gradus, per quos Tua Te Virtus duxit. Anno ætatis decimo nono Te Sixtus Quintus ad prælaturam euexit; nempe iam tum orbis principatui maturum, si id ætatis Tibi Pontificatum adolescentia, vt Augusto Imperium, permisisset.

*Iam tunc canities animi, iam dulce loquendi
Pondus & ingenium venerat ante diem,
Ingenium cœleste suis velocius annis.*

Protonotarius deinde Apostolicus, Abbreuiator Parcimajoris, Referendarius vtriusque signaturæ, Clericus camera factus es.

Anno vigesimo primo, Clemens VIII. maritimum Tibi Umbriæ oppidum, Fanum Fortunæ, pro se gubernandum dedit; auguratus nimirum quòd fortunam ipsam deinceps arbitrato tuo rectorus esses.

Et quæ, quantaque deinde à Te munera, domi, forisque (fortuna semper veluti morigerante) administrata sunt?

Redeunte in Pontificios census, Farrariensi dominatu, instrumento extincti feudi scribundo præfuiti.

Be-

Benueentanis finibus regundis, vnà cum *Alexandro Ludoifio* Cardinali, (qui Pontifex postea Gregorij XV. nomen accepit) arbiter datus es.

Iudex æstimandæ litis de Perusino lacu, fundisque Vmbriæ constitutus, Perusiam triginta sex scutorum milibus æris alieni liberaisti.

A Clemente VIII. Ferrariam ductus, celebrati abs se matrimonij inter Serenissimum Archiducem Albertum, duodecim Austriacorum Imperatorum sanguinem, & Elisabetham, Claram, Eugeniam Philippi II. Maximi illius Hispaniarum Regis filiam nuptiales tabulas conscripsisti.

Fortunatissimorum Sponsalium condiciones, inter Catholicum Hispaniarum Regem Philippum III. & Margaretam Austriacam eiusdem Pontificis authoritate abs te scriptæ, latæque, tam auspicias fecere nuptias, vt merito Tibi Hispania debeat potentissimum suum Regem Philippum IV. Gallia Reginam Annam Austriacam, Romæ Cardinalem Ferdinadum; cætera Regna spes maximas suorum coniugiorum.

Denique ab eodem Clemente VIII. in Galliam

liam legatus, eius verbis Henrico Magno gratulatum iuisti, nata sibi prole Ludouico XIII. Rege Iustissimo, quem brachijs sublatum, Pontificis Maximi nomine, à sacro Baptismatis fonte suscepisti. O præclaram Pontificatus Tui arrham! Ecquis enim non intelligeret Te Cælo aliquando ferendo successurum, qui Regium illud Christianissimi Regni sidus Athlantis instar manibus sustineres? Ita nempe natura comparatus eras, vt ad maxima quæque gerenda, perficiendaque natus videreris.

Igitur in Vmbria Commissarium Apostolicum, in Gallia Nuncium, Bononiæ Legatum Pontificium gessisti. Quid amplius?

Ductus per omnes dignitatum formulas.

Meritusque plura quam gerens.

Primum Archiepiscopus Nazarenus, Cardinalis deinde, tum Episcopus Spoletinus, Præfectus signaturæ Iusticiæ, Scotorum Protector, Congregationis de propaganda fide à Gregorio XV. (vt olim à Clemente VIII. Congregationis de Principum debitis exigendis) Deniq; PONTIFEX MAXIMVS factus es.

Liceat igitur nunc, BEATISSIME PATER, illud quoque aliquousque in Te confer-

re,

re, quod in CHRISTVM Pontificem im-
mortalem Apostolus dixit: Heb. 7.

*Talis enim decebat ut
nobis esset Pontifex.*

Etenim hæc ætas nostra Tali Pontifice indi-
gebat; & Tu Talis, ætate nostra, solus Pontifex
esse merebaris.

Adeoque; ne vlli fas esset dubitare (quod
olim Sanctiss. Pontifici Fabiano euentisse, acce-
dimus) cum in Conclavi esses, candidissimæ co-
umbæ ad fenestram tuam aduolantis indicio
Diuinitus haud dubiè) es designatus. Id quod
ego, nemini ambiguum esse posse, tum certò
mihi persuasi, cum intellexi, Te iam recens Pō-
tificem omnium admirumuratione dictam, nō-
lum solenni ritu è throno salutatum, genibus
numi nixis, manibus, oculisque sublatis, Deum
his verbis publicè compellasse.

*Domine, si hæc electio, non est aut è gloria tua,
aut è bono Ecclesia, aut salute mea prius hinc
efferar è Conclavi mortuus, quàm viuus.*

O vocem Urbano Pontifice dignam! vocem
ris, templisque omnibus consecrandam! vo-
em, quæ quàm dignus Pontificatu esses, quo
nfectu ad eum prouectus, facile indicaret.

Sic

Sic viue diu Ecclesiæ Tuæ **VRBANE OPTI-
ME MAXIME**, cui Princeps iubente cœl
præfectus es; & cùm hoc meum qualecumque
munusculum aspicias, neque Pontificem T
esse, neque eum cuius tanta sit Maiestas, se
VRBANVM recordare. Cætera Tua, vt pot
maxima omnia, plus nimio me deterrent; **VR-
BANI** solius pedes audeo submississimo oscul
venerari.

Sanctitatis Tuæ

Seruus minimus
HERMANNVS HVG
Societ. IESV.

Ex libris Thomæ de Romolinis

L V S V S

I N

GENTILITIAS

SVAE SANCTITATIS

A P E S.

V *URBANE terris OPTIME MAXIME*
Bene ominato nomine PONTIFEX.
Frustrà repugnas; quando Cœli
Auspicijs agitur urna.

HONOR fugacem persequitur virum;
 Fugit seguacem: si fugis, occupat
 Ut umbra, venantesque ludit.
 Niliaca Crocodilus alga.

Quisquis pudenda miles adorea
 Inctam rubenti murice purpuram
 Creatus amicit, pestilencie
 Virus atrocibilibi allegorica.

Frustra

Frustrà repugnas; difficilem sequi
 Te Te prehensat gloria, Te rapit:
 Apesque de Cœlo propinant
 Lethifero sine felle mella.
 Frustrà repugnas; scilicet obuià
 Cervice mortem Prodigus inuocans,
 Sta pertinax non ferre plexam
 Mellifluis **APIBUS** tiaram.
 Frustrà repugnas; nunc **APIBUS BONIS**
 lubente Cœlo subijce verticem,
 Sacrique signent **BARBERINVM**
 Astragalo meliore fasti.
 Fasti auspiciatas indigent **APES**,
 Fauosque faustos. dicite barbita;
 Nutrice lactatus Camœna
 Pindarico bibit ore nectar.
APVM rigata munere fascia,
 Fauisque cuna dulcibus augures,
 Nomenque & omen melle plenum
 Nectaris **AMBROSIO** dederunt.
 Aetas metalli diuitis aurea,
 Regnata quondam falcigero seni,
 Sudare, Portentum! cauatis
 Illicibus sua mella vidit.
 Non vidit auri fulgure splendas

APES

APES Hymetti lambere verticem;
 Damnosa quid Mida vetustas
 Vota carit pereuntis auro?

O Roma gemmis Ambrosiam bibe
 Secura; dulci miscuit utile

Aurumque me li BARBERINVS,

Delicias opibus maritans.

Aurata nunc sunt secula! mellea

Nunc vivit aetas! aurea, mellea,

Exundat ubertas, beato

Roma fauos sociat metallo.

MAXIMILIANI

HABBEQVII S. I.

B

VRBA-

PES

V R B A N I V I I I F I

A P E S

I N S I D E R A R E L A T A I PræC O E L E S T E M C R A T E R E M CI M P L E N T N E C T A R E . crip
Patro

C *Vr modò ceruleis APIS emicat aurea cāpi* Adm
Sueta prius viridi carpere mella thymo? esco
Aluear ut subijt, quod terna Tiara coronat, berm
Mutat ouans Cælo Dia Melissa solum. nea
Scis quid agat Superis felicior aduena Regnis Bruz
Id quod humi fecit, iam facit illa Polo.
Mel APIS alma fauis instillat et impluit Astri.
Quale dat Enna suis, quale dat Etna rosis,
Quale dat Hybla sacras inuitans ruris alumna.
Quale dat Actæis hospes Hymettis agris.
Sic olim sitiens liquido sine nectare sidus,
Sidereus Crater, iam noua mella bibet.

B A L D V I N I C A B I L I A V I S .

F L O .

19
FLORENTIVS D'E

MONTMORENCY,

Præpositus Prouincialis Societatis IESV
per Flandro Belgicam.

M CVM Pia Desideria à P. Hermanno Hu-
gone Societatis IESV Sacerdote con-
scripta, quatuor designati eiusdem Societatis
Patres legerint probarintque potestate ab
Admod Reuerend. Patre nostro Mutio Vitel-
esco ad hoc mihi facta, vt typis excudantur,
permitto. In quorum fidem has litteras manu
mea subscriptas, officij mei sigillo muniui.
Bruxellæ, 28. Aprilis. Anno 1624.

Florentius de Montmorency.

DE.



*Domine, ante te omne desiderium meum,
et gemitus meus ante te non est absconditus*

Psal. 37.

C. Blancus fec.

DESIDERIO
 collium æternorum
 CHRISTO IESU
 IN QUEM

Desiderant Angeli prospicere
 AMORI ET DESIDERIO SVO
 Vir Desideriorum.

Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. *Psal. 37.*

Quot mihi clam tacitis mens astuet anxia votis,
 Indicio potuit discere nemo meo.

Nemo, nisi arcani qui pectoris intima lustrat,

Quem fugit humani nulla latebra sinus.

Ille, meos gemitus, mea scit suspiria solus;

Ille, oculis etiam persecat ima suis.

Ecquis in alterius sua sensa profuderit aurem,

Sit nisi secreti proditor ipse sui?

Si tamen vlla foret speranda hac arte medela,

Ars desiderijs hac foret vna meis.

Sed neque depositas lenat auris amica querelas,

Nec desiderijs hac fit ab arte modus.

Cœperat heu! natos Rachel ululare peremptos;

B 3 M 02

Max, ubi nil flendo profuit, abstinuit.
Scilicet ipse suas facit ignis editque favillas,
Quasque pluit, nubes, ipsa resorbet aquas:
Sic melius, proprios quos fudi, combibo fletus,
Inque suum recidit iutiùs vnda sinum.
Qua mea sint igitur, dum triste gemo, lamenta;
Non nisi nos soli nouimus, ille & ego:
Quid voueam, tacitis dum compleo littora votis;
Non nisi nos soli nouimus ille & ego:
Quid clamem, mea dum sese suspiria rumpunt;
Non nisi, non nisi nos nouimus, ille & ego.
O quoties fictas animus gerit histrio partes,
Et pugnant animo fronsque, colorque suo!
Dum patitur tragicos mens personata cothurnos,
Sapius in mimo Roscius ore salit.
Nulla fides lacrymis, lacryma simulare docentur
Nec, nisi vis falli, risibus vlla fides.
Soluo ut in fletus, putat omnia tristia vulgus;
Soluo ut in risus, omnia leta putat:
Fallitur ab: nostri neque scit mendacia vultus,
Cum letor, lacrymor, rideo, cum doleo.
Vix tibi tot, Protheu, quot sunt simulantibus ora
Vota quibus laruam dant, adimuntque suam
Nemo meos Gemitus, Vota aut Suspiria nouit;
Nemo, duo nisi nos, & duo sufficimus.

LIBER PRIMVS

GEMITVS

ANIMÆ

POENITENTIS.



Anima mea desiderauit te in nocte.
Isaia, 26.

G. Blancus fecit.

H
T
Nub
N
Nom
T
Nec
V
Nec
F
Nam
N
Noct
E
Arct
D
AST
N

I.

Anima mea desideravit te
in nocte. *Isaia 26.*

HE I mihi quam densis nox incubat atra
tenebris?

Talis erat, Pharios quæ tremefecit agros.
Nubila, lurida squallida, tetrica, terribilis nox;
Nocturno in censu perdere digna locum.
Non ego tam tristes Scythico puto cardine lunas,
Tardat ubi lentas Parrhasis Vrsa rotas:
Nec tot Cimmerio glomerantur in æthere nubes,
Vnde suos Phœbus vertere iussus equos:
Nec reor inuisi magis atra palatia Ditis,
Fertur ubi nigra nox habitare casa:
Nam licet hic oculis nullam dent sidera lucem,
Non tamen est omni mens viduat a die:
Noctem, suam noctem populus videt ille silentium,
Et se, Cimmerij, Sole carere vident.
Arctica cum senos regnavit Cynthia menses,
Dat fratri reduci septima luna vices:
Ast me perpetuis damnat fors dira tenebris,
Nullaque vel minimo sidere flamma micat;
Et

Et neque (quod cecis unum solet esse leuamen)
 Ipsa suam noctem mens miseranda videt.
 Quin tenebras amat ipsa suas; lucemque perosa,
 Vertit in obscena noctis opaca diem.
 Nempe suas animo furata Superbia flammis,
 Nubilat obscuro lumina caeca populo.
 Nec sinit Ambitio nitidum clarescere solem.
 Fuscatur & ingenuas Idalis igne faces.
 Heu, quoties subit illius mihi noctis imago.
 Nox animo toties ingruit atra meo!
 Sors oculis nostris melior, quibus ordine certo.
 Alternas reparant lunaque, solque vices:
 Nam quid agat ratio, quid agat studiosa voluntas,
 Quas habet, ut geminos mens peregrina duces?
 Maior, habere oculos, dolor est, ubi non datur uti,
 Quam, quibus utaris non habuisse oculos.
 Qui dolet oppressus lapsis velocius umbris,
 Latior aggreditur manè viator iter.
 Sed nimis haec longas tenebris nox prorogat horas,
 Quae tibi manè negat cedere, Phoebe, diem.
 Cum redit Arctoo Titan vicinior axi,
 Exultat reducis quisque videre iubar:
 Scilicet Aurora gens vertitur omnis in ortus,
 Quisque parat primus dicere, Phoebus adest!
 Sic ego, saepe oculos tenui sublimis Olympo,
 Aspi-

LIBER PRIMVS 27

*Aspiciens, gemino qui iacet orbe, Polum.
Et dixi tam sapè; Nitesce, nitesce meus Sol!
Sol mihi tam longos obtenebrate dies!
Exorere, exorere, & medios saltem exere vultus,
Vel scintilla tui sola sat esse potest;
Quin etiam, tanti si luminis abnuis usum,
Sufficiet radios expetijisse tuos.*

BERNARDVS

In Cant.

Sermone 75.

Habet mundus iste noctes suas, & non
paucas. Quid dico, quia noctes habet
mundus? cum pæne totus ipse sit nox, & tetus
semper versetur in tenebris.

Deus



Deus tu scis insipientiam meam, et
delicta mea à te non sunt abscondita.

Psal. 68.

C. Blancus f.

Deu

S

Nu

M

Hec

E

Qui

In

Et p

M

Cred

S

Nec

P

Et S

D

Non

S

Leg

I I.

Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea
à te non sunt abscondita. *Psal. 86.*

SI tibi stultitia nulla est patientia nostra,
Omnia consilio qui sapiente regis;
Nullus ab offenso veniam sibi numine speret.
Nullus enim culpa, stultitiaque vacat.
Hæc etiam excelsas afflat contagio mentes,
Et sua stultitia quemlibet aura rotat.
Quid simulasse iuuat? semel insanuimus omnes;
In genus humani stemmatis illa nota est.
Et pater & mater, generis primordia nostri,
Maxima stultitia signa dedere sua.
Credite posteritas, fatali vendita pomo es:
Stultius hac aliquid venditione fui?
Nec minus insanus, magni patrimonia census
Perdidit esuriens munere pulvis Esau.
Et Salomon tactam sensit vertigine mentem,
Dum castam insano vertit amore domum.
Non igitur magni fallunt oracula Regis;
Stultorum innumerum qui docet esse gregem:
Legiferi neque vana canunt præfagia vatis,
Quæis

Queis defleta hominum tanta ruina fuit :
 O saperent , ait , & cauti ventura viderent !
 Non adeo in vitium cerea turba foret .
 Quis (nisi desiperent) quosdam dixisse putaret ,
 Nullum qui terris imperet , esse Deum ?
 Quilibet ut peccet (alias peccare timeret)
 Esse sibi nullum flagit in orbe Deum .
 Ipsa igitur nostros auertunt crimina sensus ,
 Nullus & in vitium sit nisi stultus , abit .
 Sed neque iam gli scens stat in hec dementia passu
 Precipiti in peius truditur acta pede :
 Extruimusque domos , cœloque educimus arces ,
 Ceu data perpetuò terra colenda foret ?
 Crastina lux coget vite statione moueri ;
 Quis neget insanas nos fabricasse domos ?
 Conserinus platanos , disponimus ordine lauros ,
 Areolas hortis diuidimusque suas :
 Quæ stolidi serimus , vix tertius aspicit heres ,
 Quo tibi , qui carpet tum tua poma , nepos ?
 Sic puto , dat senibus puerilis natio risum ,
 Cum fabricat luteas , paruula turba , casas :
 Ludrica sollicitis feruet res publica curis ,
 Hic fcenum , hic paleas conuehit , ille trabes ;
 Aggerit hic grauido plumas , & stramina plaustro ,
 Huius erat testa que vere minus aquam .

Et

Et sibi tum structæ gratantur mœnibus urbis,
 Magnaque se pueri regna locasse putant.
 Hæc videt ac ridet, quæ transit grandior ætas,
 Vixque graues sese virque, senexque tenent.
 Haud aliter Superis dant nostra negotia risum,
 Regnaque pro nidis, quæ fabricamus, habent,
 Hæc quoque sub stolido sapientia nata cucullo;
 Tam varijs nullum vestibus esse modum;
 Pauca, vel hoc studio peregrinus ad oppida currat,
 Inueniet vestes per loca quæque nouas.
 Si sedeant vno simul omnes forte theatro,
 Quos sua dissimiles palla, chlamysque facit,
 Ridiculis videat plenissima pulpita mimis,
 Rideat, et scy pallia quisque sui.
 Iam studiũ gemmarũ, & habendi quis furor auri?
 Sudat in hoc hominum nocte, dieque labor.
 Quid tamen est aurum, fulua nisi puluis arena?
 Gemmaque, quam vitrei gutta gelata maris?
 Ambit & has tanta gens stulta cupidine gazas,
 Ceu foret hinc miseris vna petenda salus.
 Ecce tibi minimo cœlum venale labore,
 Et cœlum hoc pretio quantula turba petit?
 Heu genus insanum! terras preponitis astris,
 Ignotis nimium dona caduca bonis!
 Quis pueros (lusu si vel tam turpiter errent)

O. bily

Orbiliū meritos aspera sceptrā neget?
 Nempe sciunt leuibus quid distent aera lupinis,
 Ut semel abiectas deseruere nuces.
 Nos magē desipimus, cum parua crepundia, cœlo,
 Pro pudor! & fluxas pluris habemus opes.
 O medici mediam stolidis pertundite venam!
 Stultitia queat hic proximus esse furor.
 Sed videt hæc, magnus qui tēperat arbiter orbem,
 Nostraque stultitia nomine, multa tegit.
 Et inca propitius deliria plurima transit,
 Multaque scit cœca dissimulanda manu.
 Et qui ius adimat, nouit Prætoris egere.
 Ne perdam, patrias qui mihi seruet opes,
 Ergo adeat sanum mea, fac, tutela patronum,
 Stultitia custos esto vel ipse mea.



CHRYSOSTOMVS.

Hom. 4.

In Ioannem.

Nihil ab insipientibus differunt qui terrenas res, & breui duraturas tanquam in somnis suspicantur.

C Mi-



*Miserere mei Domine, quoniam infir-
mus sum; sana me Domine, quoniam
conturbata sunt ossa mea, Psal. 6.*

C. Blavogus fec.

3

I I I.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum:
 sana me Domine, quoniam conturbata
 sunt ossa mea. Psal. 6.

Conquerar; an fileam? iustas habet ira que-
 relas.

Heu sine Pœonia sola relinquer ope!
 Non ego iussa licet iuratis credere verbis,
 Sperassem, cordi non magis esse tibi.
 Siccine tardus ades, neq; nostra pericula tangunt?
 Quæ potuit tanta causa fuisse mera?
 O mea spes! Numen quo non presentius agris,
 Sic potis es nostri non memor esse mali?
 Nunc aderant pariter Podalyrius, atq; Melæpus,
 Phillyrides Chiron, Pœoniusque senex.
 Multaque præterea comitata Machaone turba;
 Quique aliquod medica nomen ab artegerunt:
 Tu solus deeras, morborum publica cura,
 Postque tot Hippocrates ultimus ecce venis,
 O mea spes! numen quo non presentius agris,
 Sic potis es nostri non memor esse mali?
 Omnibus est oris visus color indice lingua,

C 2 Omi-

Omnibus admota vena notata manu :
 Nil, aiunt, vitale rubet, neque languida certis
 Vena notat, pulsu praeoriente ! moras ;
 Idque ego plus ipsis deprendo medentibus agra,
 Destituit medicos ars sua, meque salus .
 Quid nā igitur sperem fugiētibus orba Magistris,
 Morbus ubi vincit senior artis opem ?
 Coeca per infectas serpunt contagia venas,
 Imaque subsidit lapsus in ossa dolor ;
 Et caput, & cubiti se sustentare recusant,
 Tinctaque vix Baccho Vena medente redit .
 Et iam vix animae superest pars ultima nostrae,
 Heu paror inferijs proxima pompa meis !
 Denique qui morbos cupit omnes discere nostros,
 Copia quod fieri non sinit, ille cupit .
 Hic status, haec rerum facies miseranda mearū est,
 Nec inuor ullius, qui medeatur, ope,
 Aspice, vix nostram poteris dignoscere formam,
 Vultus abest vultu, seque nec ipse refert .
 Lumina suffossis retrò fugere cauernis,
 Magnaque purpureis facta ruina genis ;
 Nec quisquā hanc ferro potuit, compescere noxam
 Quin caput & faciem carperet atra lues .
 Tetrica quid memorem vigilis fastidia lecti ?
 Quaeque manu tangi vulnera cruda timent ?
 Vul-

Vulnera proh nullis medicāda Machaonis herbis!

Qualia, quæ secuit barbarus ensis, hiant:

Vulnera, secretas animi populantia fibras,

Quæ nullus medica claudat hiulca manu.

Nempe graues, mea sunt, quas feci, vulnera noxæ,

Vulnera, trux animæ carnificina meæ.

Adde, quod intus opū dirus mihi turgeat hydrops,

Lentaque quod meditor nausea tardet opus;

Tensaque ventosi propè rumpant ilia fastus,

Et Veneris tacitus pectora cancer edat.

Hæc ego sepè dedi varijs tractanda Magistris,

Semper at oblata cura fefellit opis.

Scilicet ipse suas, hic tentet inaniter artes,

Qui raptum Androgeo reddidit arte diem;

Quique potestates succorum norat & usum,

Vna salus ægris spesque, Epidaure, tuis:

Nec inuet hic Chiron, operose viribus herba.

Nec summum medici numen Appollo chori:

Officium tanto cedit minus omne dolori,

Non habet hic vllum succus, odor vè, locum,

Quas igitur spectem, vestri nisi Numinis, aras,

Funeribus nullis quas Libitina notat?

O mea spes! Numen quo non presentius vllum!

Ecce tuam veneror, mortua penè, manus.

Sanus Appollineà non indiget arte vel herba,

*Lege Machaonia, qui dolet, artis eget,
Mens mihi laesa dolet, plus simplice vulneris ictu;
Ne doleat, vires experiare tuas.
Illa ego sum, Solymis quam praeo cruentus arenis
Strauit. & immiti diffidit ense latus:
Tu Samarita, mero; Tu vulnera mitis oliuo
Obline, barbarica vulnera facta manu;
Quosque Leuita negat, medicos inuerge liquores,
Crescet ab infuso rore meroque salus.*



Serm. 55.

De Verbis Domini. c. 11.

Iacet toto orbe ab oriente vsque ad occidentem grandis ægrotus, sed ad sanandum grandem ægrotum descendit omnipotens medicus; humiliavit se vsque ad mortalem carnem; tamquam vsque ad lectum ægrotantis.



*Vide humilitatem et laborem meum, et
dimitte uniuersa delicta mea. Psal 24.*

C. Blancus. f

4.

I V.

Vide humilitatem meam, & laborem meum:
& dimitte vniuersa delicta mea. *Psal. 24.*

Aspicis, heu seuis! nostris neq; tãgere curis,
Aspicis, & credi vis tibi, me quod ames?
Futilis ignaro cantetur fabula vulgo,
Sentit amicorum vulnera, quisquis amat.
Aspicis & pateris; neque cura est vlla iuuandi;
Verus amor promptam non ita tardat opem,
Aspice, quam turpi subigar damnata labore;
Aspice, cui tendam colla premenda iugo.
Si foret ingenua saltem labor indole dignus,
Nec nimis abiectè & vilius artis opus.
Multa meos casus magnorum exempla leuarent,
Et facerèt propriam, sors aliena, leuem.
Sepè Ducum proanos, Regesque nouerca coegit
Augustas operi sors adhibere manus:
Protea frænantem septemplicis ostia Nili,
Sic oras miseram, Rex Menelae, stipem.
Dextra Syracusij sceptris assueti Tyranni
Sic ferulas, pueris sceptrum verenda, tulit.
Flenda exēpla quidē, tamen haud ducenda pudori,
(Non

(Non etenim miseris sunt sua fata probro)
 Ast mea non lacrymis, sed digna pudore ruina est,
 Qua roto serviles sponte subacta molas.
 Qualis ab infida Sampson detonsus amica,
 Circuit indignas, hoste iocante rotas.
 Atq; utinam famulas tantū damnarer ad artes!
 Explerem ingenua sordida pensa manu:
 Turpibus at seruum vitijs, addicere pectus,
 Exulis asperius mancipijque iugo est.
 Ah pudet! & (duplicis noua qua mihi causa ru-
 boris.)
 Ipsa meum damnans execror author opus.
 Vix benè parta sum est, rursumq; reuoluitur error,
 Crescit & at textis nexa catena malis.
 Scilicet illa manet plectendas ultio voxas,
 Admissum sequitur culpa secunda scelus.
 O quam saepe meo sensi hæc discrimina damno!
 Nec tamen est damni mens reuocata metu.
 Nempe trahor vario studia in diuersa duello,
 Ut ratis ambiguis iam pila facta Notis.
 Et trahit hinc (vitij, qua lena comesque) voluptas,
 Quique subit vitium, retrahit inde dolor.
 Sæpius illa tamen redit è certamine victrix,
 Assiduus vitio sit licet ille comes.
 Sic habet alternos virtus, vitiumque triumphos.
 Et

LIBER PRIMVS.

43

Et meus aeterno vertitur orbe, labor.

Tu super hæc etiam loris seruilibus instas,

Addis & in pœnas verbera dura meas;

Pœnaque cum culpa sit culpa secunda peracta,

Supplicij pœnas adijcis vsque novas.

Nempe Ixionius non est modo fabula gyros,

Vincta sed aeternę vertor in orbe mola.

Aspicis hæc durus, neque nostro tangere fato?

Aspice, & in pœnas mitior esto meas,

AVGVSTINVS.

In Psalm. 36.

Molendinum puto dictum mundum
istum; quia rota quadam temporum
voluitur, & amatores suos conterit.



Memento, quæso, quod sicut lutum fece-
ris me, et in puluerem reduces me.

Job. io

C. Blancus f.

V.

Memento, quæso, quòd sicut lutum feceris me,
& in puluerem reduces me. *Iob. 10.*

Ergone cœlitibus iam nata obliuia regnis?
Quis Ganymedeo miscuit ista Scypha?
Quid facit immemores ad nostra negotia Diuos?
Lethæas Superi forte bibistis aquas?
Oblita es, mea lux, aut vis oblita videri;
Cum dubitas proprium quale crearis opus.
Si nescis, referam; si scis, cur fingere pergis;
Me tua de lutea dextera fecit humo.
Queris ubi? toto locus est notissimus orbe,
Primus ubi pater est conditus, hortus erat.
Fons ubi de riguis argenteus exilit herbis,
Quadruplicique suas flumine findit aquas.
Scire lubet tempus? minimo post tempore, salvas,
Cum maris aggeribus terra coegit aquas.
Adde, (quod històriæ facit, hac quoque parte
probande)
Puniceo rubuit Dædala gleba solo.
Hinc tribus es modicam digitis admensus arenã,
Primaque massa mei corporis illa fuit.

Nec

Nec primis erit his natalibus exitus impar,
 Nil nisi pulvis eram, nil nisi pulvis ero
 Sic faber argillam samys dum repperit agris,
 Aedificat facili pocula ficta luto.
 Principio, terræ segmenta ligonibus urget,
 Inde leui madidam flumine mollit humum,
 Denique materiem pernix rota versat in orbem;
 Amphoraque admota nascitur arte manus,
 Nascitur, at media vix amphora vixerit hora,
 Frangitur, inque suam fracta recurrit humum.
 Haud mage firma meæ fundamenta condita vitæ,
 Et leuis extremos finiet umbra dies.
 Cur igitur, veluti fuga non satis incitet annos,
 Præcipites glomerat mobile tempus equos?
 Sponte, meus pulvis, nimis heu citò, sponte fatiscit,
 Et mea, non ullo, vita premente fugit!
 Si mihi, ceu vitrea Cælum concrevit ab vnda,
 Calite crytallo membra gelata forent;
 Aut quales memorant, cœlestia lumina, stellas,
 Quas suus è liquidis condidit author aquis:
 Aut foret Angelicę munus sine corpore, vitę,
 Elisijs qualem mentibus esse ferunt!
 Sperarem Angelicis aequalia secula lustris,
 Aequalesque Polis, sideribusque dies.
 Sed data squàmigerę mage fortia corpora turma,
 Aut

Quam peperit viridi Doris aquosa patri,
 Quin etiam volucres cunis melioribus ortę,
 Plumea queis nitidę membra dedistis aque.
 O utinam rigidis mihi stent adamantibus artus,
 Aut durent nervos fulua metalla meos!
 Felices Scythicę fato meliore sorores,
 Fama quibus rigido finxit ab ære manus,
 Cuique fuit solo corpus penetrabile talo,
 Aerea nam reliquum lamina corpus erat!
 Sed quid ago, damnoque mei cunabula limi?
 Aut queror è fragili corpora ficta luto?
 Non bene vasa suo faciunt conuicia Fabro,
 Nec faber ipse suum iure refutat opus,

RVPERTVS.

L. I. in Ieremiam.

Cap. II.

AVsum est infelix lutum blasphemare fi-
 guli sui digitos. quid igitur? nimirum,
 figulo iustissimè digitos suos foris contahere,
 & cum tota manu feriente, dissipatum est vas
 dissipatione valida.

Pcc-



Peccavi. Quid faciam tibi, O custos hominum!
quare posuisti me contrarium tibi. Iob. 7.

C. Blancus f.

- 6 -

Peccaui: quid faciam tibi ò custos hominum;
quare posuisti me contrarium tibi? *Iob. 7.*

ET iuuat, & merui: pleno scelus ore fatēdū est,
Culpa mea est nullo digna patrociniō,
Peccaui; fateor; nec qua male crimina feci,
Vllo fucari posse colore, puto.
Nec mihi dedecoris metus est, aut cura pudoris;
Publica flagitijs debita pœna meis.
Ecce manus ultrò supplex tibi porrigo victas,
Quæ mihi sit, tantum, pœna luenda, rogo.
Quid tibi vis faciam? Vis trudam pectus in enses?
Aut cladi statuam mœsta trophœa mea?
Vis tua centenis cumulari altaria libis?
Aut pia fumosis tura micare focis?
Aut meus ipse tuas manus, cruor imbuat aras,
Hostia criminibus substituenda meis?
Ab, foret illa mea vix par quoque victima noxa!
Namque meo est, omnis crimine pœna minor.
Non tamen est seuas tantus tibi feruor in iras,
Quas lenire cruor solus & ara queant.
Sape tuus parti superata mucro pepercit,
Et conseruato nomen ab hoste tulit.

D

N orz

Non sinit ingenium tantos tibi surgere motus,
 Quantis pro merito culpa pianda foret.
 O bone terrigenum custos, tutelaque mundi
 Publica, suspendit tot cui vota salus;
 En tua se media clementia monstrat in ira,
 Quaque manu gladios, has quoque tendis opem.
 Si pateris (quamuis summo mea causa patroni
 Eloquio melior nullius esse queat)
 Pauca tamen pro me, vel pro te (quod magis opte)
 Ne tua fors etiam sit mala causa, loquar.
 Non nego, peccavi; communis at hic fuit error:
 Damna ne communis criminis una luam?
 Cum ruerent alij, male quo suus impetus illos
 Impulit, in flammis Bacche Venusque tuas?
 Dextra suum fulmen, quamuis vibrata, remisit,
 Tensaque pro gladio lenis oliua fuit.
 Cur mihi perpetuo contra aduersare duello,
 Ceu gladiator ego, tuque lanista fores?
 Non satis est, culpam fassas tibi tendere palmas,
 Criminibusque iram promeruisse tuam?
 Quid, quod et egregy dederim tibi muneris ansam,
 Materies laudis, dum mea culpa, tua est.
 „ Nam nisi peccassem, quid tu concedere posses?
 „ Clementis nomen, non habiturus eras.

GRE-

GREGORIVS.

In c. 7. Iob. lib. 8. c. 22.

TVM sibi contrarium Deus hominem posuit, cum homo Deum peccando dereliquit; iustus verò conditor hunc sibi contrarium posuit, quia inimicum ex elatione deputavit.





Cur faciem tuam abscondis et arbitraris me inimicum tuum? Job 13.

C. Blancus f.

7.

V I I.

Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me
inimicum tuum? *Iob 13.*

Ergo meus, tanta causam tibi praeiuit ira
Qui condonandus leniter error erat?
Credideram toruos tantum te fingere vultus,
Nec nisi compositis os simulare minis.
Scilicet ut flenti genitrix negat vbera nato,
Sed negat, ut lacrymis saepius illa petat.
Aut qualis puero fugiens negat oscula nutrix,
Oscula, quae toties, dum fugit ille, dedit.
Sic ego te fictos rebar mihi ducere vultus,
Utque magis sequerer, fingere velle fugam.
At geritur video, ficto res seria bello,
Falsa, nec, ut rebar, larua, sed ira fuit.
Avertisque oculos, dedignariisque videri,
Pax veluti numquam concilianda foret.
Et fugis, ut viso fugit eminus hostis ab hoste,
Aut quem fulmineo dente laceffit Aper.
Seu timeasque oculis visus saxescere nostris
Oculis opposita lumina cauta manu.
Quo precor hanc tanto merui pro crimine poenam,

D 3 Vt

Vt velut indignans ora videnda neges?
 An quia peccavi, vultu frustraris amantem?
 Ah vultu! numquam qui mihi durus erat.
 Aut mea ne magicas iaculentur lumina flammæ,
 Sibilet aut nostro Regulus ore, times?
 Anteuentutis Cjrceos visibus orbes,
 Vibratamque oculo pelle nocente necem,
 Doncc enim verso me dedignabere vultu,
 Te, dolor, irato viuere, maior erit.
 Nullius alterius faciunt mihi lumina bellum,
 Luminibus possum Phœbe, carere tuis:
 Pulcratuos oculos contemnere Cynthia possum
 Qui pascunt reliquas igne nitente faces?
 Attamen absquæ tuis oculis, mea vita, meum cor
 Viuere, non aliter quàm sine corde; queo.
 Cense igitur reliquas, quibus obruor anxia curas,
 Si tam dura, oculis, pœna, carere tuis.
 O quanto! o quanto mihi grandius hoc tormen-
 tum est,
 Te quod amens mea lux, me tamen haud redames!

AMBO.

AMBROSIVS

Apolog. pro David.

SI quis offenderit seruulorum, auertere ab eo vultus solemus: si apud homines hoc graue dicitur, quanto magis apud Deum? Vides enim quòd faciem suam Deus à Cain muneribus auertit.



*Quis dabit capiti meo aquam et oculis
meis fontem lacrymarum! Hierem. 9.*

C. Blancus fec.

V I I I.

Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis
fontem lacrymarum, & plorabo die,
ac nocte? *Ierem. 9.*

Quis mihi det, liquidas caput hoc vertatur in
undas.

Torque fluat guttis, quot stetit antè, comis?
Fronte patet campus quem flebilis imber inundet,
Ripa nec, ut fluctus exspatiantur, obest.
O mea, si subito, duo flumina, lumina fiant!
Sat capiet geminas alueus aptus aquas.
Ille meis totus lacrymis non sufficit imber,
Perpetuò flentis, qui rigat ora senis.
Capta nec Andromache, qua lumina proluit unda,
Illà meis lacrymis unda sat esse potest.
Nec tua, Iesside, lacrymati balnea lecti,
Balnea nocturnis humida semper aquis.
Nec quibus es solitus ieiunia pascere gutta,
Nocte, dieque, tuus qua tibi panis erant:
Illa nec illuies plorabilium lacrymarum.
Quam pluit in Domini Magdala mœsta pedes.
Nec (tibi, qui geminis inarauerat humida sulcis
Lu-

Lumina) fons mœsta, Petre perennis aqua.
 Sed tua, Nile, velim septem plice flumina riuo,
 Cum vagus Isiacos obruis amnis agros.
 Aut qualis madidum cū mergit Aquarius annū;
 Totaque in hybernas astra liquantur aquas;
 Aut potius trepidas qualis ruit imber in vrbes,
 Omnia cum plusio claustra reclusa Ioui.
 Culminaque et terras & acuta cacumina, cautes,
 Et ne mora & montes nil nisi pontus erant.
 Hos oculis voueam grauidis mihi currere nimbos,
 Et caput hoc, totus fiat vt Oceanus.
 Aut saltem in geminos tabescere lumina riuos,
 Perpetuò ve meas amne natare genas.
 Nec siccarū oculos, nisi cum stupor obstitit illis,
 Finit vt lacrymas vltima gutta meas.
 Felices nimium, vitreae, gens cerula, nymphe,
 Membra quibus fluido sunt liquefacta vitro!
 Vosque, paludosis mutata fontibus artus,
 Quas verus est quondam fama professa nurus;
 Cur mihi non liquidis stillant quoq; brachia riuus?
 Glaucaque muscosis fluctuat vnda comis?
 Illa ego sum, fontem quæ non admittor in vllum;
 Illa ego sum, frustra quæ liquor esse velim.
 O vtinam! celerem vertar, nouus Acis, in amnē,
 Qui Galatea, tuo flumen amore fuit.

Aut

Aut aliquod, fieri iubeat me Biblida, Numen,
 Quod fieri iussit Biblida, fontis aquam!
 Aut, Acheloe, tua liceat mihi ludere forma,
 Hercule decepto, cum leue flumen eras!
 Non ego tunc, Acheloe, precaria corpora ponam,
 Taurus, ut exuto fluminis ore, puter.
 Et licet obscuri fuerim nisi nominis annis,
 Non ego me nomen vile fuisse, querar.
 Iugis aqua largus tantum mihi suppetat imber,
 Cetera, securum nomen honoris erit.
 Tum mea inexhaustos deducunt lumina riuos,
 Pindus ut aestiua de niue, voluit aquas.
 Perq; fluent lacrymae, veluti vaga flumina, vultu,
 Flumina luce fluent, flumina nocte fluent.
 Nec nisi flere, meis oculis erit vlla voluptas,
 Donec erunt lacrymis crimina mersa meis.

HIERONYMVS

In cap. 9. Ierem.

SI totus vertar in fletum, & nequaquam
 guttae sint lacrymarum, sed abundantia
 fluminum; non satis digne fleuero.

Dee



*Dolores inferni circundederunt me,
 praecipauerunt me laquei mortis.
 Psal. 17.*

c. Blancus f.

9

Dol

E

En, n

E

Men

N

Sylua

L

Nec r

N

Nec r

N

Nūq

Vll

O uti

No

Hen c

Qu

Cur q

I X.

Dolores inferni, circumdederunt me, præoccupauerunt me laquei mortis. *Psal. 17.*

Ergo iterum Actæon aliquis noua fabula fiet,
 Infelix canibus, præda voranda suis?
 En, mihi mens nemorum studijs iuuenilibus arsit,
 Et perijt studijs mens prope capta suis.
 Mens fuit, ancipites venatu pellere curas;
 Non tamen in syluis, pulcra Diana, tuis.
 Sylua mihi rapidis non est latrata molossis,
 Lustra nec infesta sollicitata cane.
 Nec iuga Taygeti, neque Manala territa conuulsi,
 Nec fuluus volucris cuspide stratus aper.
 Nec mea Parthenijs circumdata retia syluis,
 Nec meditata feris callida lina dolos.
 Nūquam ego vel pedicas, venabula, tela, vel arcus,
 Vllave Spartane Virginis armatuli.
 O utinam mens ista mihi, Dietyanna, fuisset?
 Non ego nunc prædæ cingerer arte mea.
 Heu quibus imprudens studijs mihi torpuit ætas?
 Quin potius, nemorum crura notata rubis?
 Cur quasita tuis mihi præmia, Bacche, trapetis?
 Aut

Non tantum pharetrā, neue tantū tela Cupido,
 Cautā sed, ut fallas fila, plagasque geris.
 Pampineos tantum neque concutis Euie thyrsos,
 Sunt quoque, queis capias ebria crura, doli.
 Cum surgit Dalila Sampson male tonsus ab vlnis,
 Vincla Philistheo brachia fune tulit.
 Cum iacet ignoto Noe superatus Iaccho,
 Compede succiduos stringis Iacche pedes.
 Idalis, ecce, suis iam me quoque cassibus ambit.
 Que toties votis prada petita meis.
 Hei mihi quot circum pedicaru indagine cingor!
 Ceu fera venantum prapete septa globo.
 Scilicet illa fuit spectri feralis imago,
 Antonio, celsi vertice visa iugi
 Cum patuere oculi collecta sub vnus ictum
 Omnia, qua mundo didita regna iacent;
 Omnia, ceu parua, tellusque polusque tabella,
 Prætaque stant minimo corpora tota vitro:
 Omniaque hæc ingens obsepserat undique rete,
 Multaque furtiuis stamina sparsa vijs.
 Quisque suas fraudes, sensit sua vincula quisque;
 Hic caput, ille pedes vincetus, & ille manus.
 Sic sua deceptum laquearat quemque voluptas,
 Ut visco stolidæ decipiuntur aues.
 Ab! sua nexilibus tendit mors undique tramis
 Retia.

Retia, arachneæ callidiora dolo.
 Vique sedet nigro venator aranæus antro,
 Insidians pennis, stridula musca, tuis:
 Sensit ubi mota trepidare cubilia tela,
 Emicat, & trepidam raptat in antra feram:
 Aut qualis viridi latet arbore callidus auceps,
 Pennipedi meditans vincla dolosa gregi.
 Linigeros abdit vicino gramine vallos.
 Spargit & in nitido plurima grana solo.
 Et circum inclusas secreta crate volucres:
 Quæque canant vincla compede ponit aues,
 Hæ saltu, & cantu; leuis ille foramine buxi:
 Hæ socias; prædam decipit ille suam.
 Venantum haud aliter scelerum comitata corona
 Implicat insidijs mors sua quemque suis.
 Quique super laqueos nisus dare corpora saltu,
 Hæ miser, in stygias præcipitatur aquas:

AMBROSIVS

De bono mortis c. 5.

LAquens in auro, viscus in, argento, nexus in
 prædio, clauus est in amore: dum aurum
 petimus, strangulamur; dum argentum quæri-
 mus, in visco eius hæremus; dum prædium
 inuadimus, alligamur. Non



*Non intres in iudicium cum seruo tuo
quia non iustificabitur in conspectu tuo
omnis uiuens. Psal. 142.*

C. Blancus fecit.

10

X.

Non intres in iudicium cum seruo
tuo. Psalm. 142.

Quod decus est Dominis, in ius arcessere seruum
Palmaque, qua serui, iure vadantis Heru?
Et seruilis hero vertit victoria probro,
Et reus offensæ seruus herilis abit.
Crede mihi, pudor est, mecum tibi texere rixas,
Iurgia nec tecum conuenit esse mihi.
Non ego sum, tanta cui sit fiducia pugnae,
Non ego materies litibus apta tuis.
Nempe tuis scribi vis bella forensia fastis,
Aut mea, forte, tuam vincere, caussa potest:
Cuius erit felix adeo facundia lingua,
Quæ sperare sibi tanta tropæa queat?
Iuridici nulla est ita vox exercita rixis,
Quot tua debilior caussa, loquente, cadat.
Heu nimis austeram dispensas cognitor urnam,
Nec tuus inflecti se rigor ille sinit!
Sat tua nota quidem gemino clementia mundo;
Bladaque & in poenas est tibi lenta manus:
Mœstaque cum statuis, tristi tibi mœror in ore est,
E Tamque

Tamque rei damno, quam reus ipse, doles.
 Parque tibi dolor est de crimine sumere poenam,
 Ac sua de plexo crimine poena reo est.
 Nec sibi decretam velit vllus demere mulctam,
 Arbitr ut proprij criminis ipse foret.
 At licet ingenuas habeant hec carmina laudes,
 Iudicij cupiam puncta subire tui.
 Nā quamuis miseris bonus es, veniaque paratus.
 Attamen in fontes iure, seuerus agis;
 Et tibi tam iusta pender lanx vtraque libra.
 Par sit ut ex aequo gratia, parque rigor.
 Nec finis affectus, captiuaque pectora duci,
 Nec subigunt animum lenia verba tuum.
 Nec, si caussidici vos incantauerit aures,
 Facunda minimum diluat arte nefas.
 Perdidit hic cassas facundia, suadaque vires,
 Et silet hoc omnis gratia muta loco,
 Nec prece, nec precio; nec fraude, nec arte, nec astu
 Prostitit hoc vumquam vendita causa foro.
 Quis secet intrepidus tam duro Iudice lites,
 Aut tantum impavidus pareat ante Deum?
 Non ego si saui vocer inter ouilia Martis,
 Dura tui metuam septa, Gradine, fori.
 Nec trepidē (licet ipsa Decem citet hasta virorū)
 Ne mea, centeno iudice, causa labor.

Nec

LIBER PRIMVS. 67

Nec tua, (caussarum scopulos) infamia, Cassi,
 Pulpita, si iubeat Prator, iniqua querar.
 Nec Rhadamanthæq; vercar subselliarixæ,
 Scamnaque Dyctæi litigiosa senis.
 Nec quibus inclusas tenet arbiter Aeacus umbras.
 Infernis dubium iura subire plagis.
 Quilibet in caput hoc dicter suffragia iudex,
 Et ferat immites quælibet urna notas:
 Caussarum mihi tot lingua est inflata tropæis,
 Se putet ut nullo cedere posse foro.
 Vnius at timuit solummodo Iudicis urnam,
 Iudicis, & restis qui vice solus agit.
 Qui, semel ut seua sententia lata taballa est,
 Nec prece, nec lacrymis, triste retractat opus.
 Odurum, o fatale reis, miserisque tribunal,
 Quo Iudex rigido tam grauis ore sedet:
 Dicitur attonitis & terna luce supinis
 Hunc oculis Agathon exrimuisse diem.
 Vtique sibi noxa Paulus non conscius esset,
 Hoc tamen est veritus iudice stare nocens.
 Quique sui Salomon doctissimus audiit eui,
 Mens pura est, quem quam dicere posse, negat.
 Quin sancet hac etiã trepidus formidine Psaltes;
 Iudice te, tutus qui reus, inquit, erit?
 Quique tot aduersos iulit equo pectore casus,

*Vix fore clara satis sydera; Iobus ait .
 Si trepidant igitur, tanto censore, columna.
 Quo stabunt tabulae, ligna caduca, pedes?
 Sique tremunt pauide nutante cacumine cedri.
 Qua spe parua suam sylua tenebit humum?
 Frigidus, heu refugit mihi toto corpore sanguis,
 Aspectus quoties hac subit urna meos .
 Non secus ac visa cum victima forte securi,
 Decepto refugit verberere tunsa caput .
 Parce precor, neque ius mihi dic hac cognitor urna
 Sancta Themis causa qua cadat ipsa sua.*



BERNARDVS

Sermone 8.

Super Beati qui &c.

Quid tam pauendum, quid tam plenum
anxietatis, & vehemētissime sollicitudinis
excogitari potest? quàm iudicandum adstare
illi tam terrifico tribunali, & incertam adhuc
expectare sub tam districto iudice sententiam.

E 3 Non



Non me demergat tempestas aque, neq;
absorbeat me profundum. Psal. 68.

C. Blancus f.

X I.

Non me demergat tempestas aquæ, neq; absorbeat me profundum. *Psalm. 68.*

O *Nimis instabilis dubij incostantia Ponti,
 Qui tot pellicibus carbasa fallis aquis!
 Nempe fluis vitreis refluxisque argenteis undis,
 Mentiturque tuus dura metalla liquor.
 Nonnumquam placidus, tacita stas more paludis,
 Nec magis vlla lacu stagna modesta iacent.
 Sapè tibi horrificat vix summum fluctibus æquor,
 Cum leuis exiguo stringitur vnda Noto.
 Mobilibusque salit circum caua ligna choreis
 Subsiliuntque leui vela petulcarate.
 Quin sinis æratis findi freta mollia rostris,
 Utque tibi canas tonsa flagellet aquas:
 Nunc, velut è duro rigeant tibi terga metallo,
 Tot tereris remis, terra quot ipsa rotis.
 Et tua; ne qua parte fides suspecta labore,
 Marmora perspicuo pandis aperta sinu:
 Ceu Crystallineo nequeat fraus esse profundo,
 Aut fieri vitreo nullus in amne dolus.
 Ecce vbi disincta iam non tenet anchora puppem.*

E 4 Anraque

Auraque remigio prona secundat iter?
 Quàm citò deserto discessit littore pinus.
 Et iam nulla domus, nulla videtur humus;
 Improvisa ratem medio circum equore cingunt,
 Hippotadae laxis agmina missa cauis.
 Non secus ac seua seruus damnatus arena
 Opprimitur Libycis praeda voranda feris.
 Aut nemorum latebris deprehensus fortè viator,
 Prædonum subito cingitur orbe latus.
 Tum surgit tumidis præsagum fluctibus æquor.
 Venturoque tremat discolor unda metu:
 Mox ubi decertant simul Africus & simul Eurus,
 Et notus & Borea; incubuere salo;
 Finditur abruptus varia in diuortia pontus,
 Distrahit ut fluctus quæque procella suos.
 Et patet horrendo præceps Neptunus hiatu
 Mersurus pelago circumeunte ratem.
 Heu! gemit hic tumido pèdens trabs anxia fluctu,
 Et perit, undecima si prior unda venit.
 Aut hæc, aut similis salis est fallacis imago.
 Tam citò de placido seua fit unda mari.
 Sed mihi, mentito simulata est fabula ponto,
 Non ego de vestris, Tethy, querebar aquis.
 Nec mihi de rapidis, qui torquent æquora, ventis,
 Nec mihi de regnis, Aeole, verba tuis.

Nec

Nec mihi de leuibus, temerarie Typhy, carinis
 Ire quibus liquidum primus es ausus iter.
 A patrio numquam soluit mea littore puppis;
 Nec vidi virides, Numina salsa, Deos;
 Nec ventos didici, neque ventis vela tetendi,
 Qui facit hanc artem, quam facit, arte luat.
 Quem cecini pontus mea vita, simillima ponto est,
 Quaeque tulit puppis, illa ego puppis eram.
 Aeolidae magno stantes circum agmine fratres,
 Sunt animi motus, gens violenta, mei.
 His ventis, hac naue, per haec ego cerula currens,
 Tot sensi humanis rebus inesse vices.
 O fallax nimium mendaci vita sereno,
 Quae nigra de letis tam cito regna facis?
 Nulla deest Venerum tibi copia, nulla leporum,
 Omnia blandiis letitiisque fluunt.
 Dum ferit intus amor, venisque agitata libido,
 Triste nihil, fraudem fraude tegente, patet.
 Ast modo, cum stygio vitiorum, erumpere fluctu,
 Hisque animum ventis afferuisse lubet,
 Tunc videt, heu! quanto fuerit mens hausta profundo
 Quoq; gemit, scelerum quam graue sentit onus.
 Atq; utinam! ut liquidis Pelagi q mergitur undis,
 Exerit Oceano terque, quaterque caput,
 Sic imo scelerum mersus semel aequore mentem,
 Submer-

Submersas superis tendat ab amne manus?
 Sed velut in tetrum terræ delapsus hiatus,
 Quem simul & putei tracta ruina tegit;
 Aut gelidas fracto subiit qui marmore crustas,
 Nequicquam obstructo flumine tentat iter:
 Non aliter, prono scelerum qui vortice raptus
 Vix tulit à superis, vnus & alter, opem.
 Aspicias, ut certem pugnantibus, vna, duobus;
 Bella mouente Noto, bella mouente salo?
 Aspicias ut caput hoc propè mergat & Auster &
 vnda,
 Iamque necaturas ducere cogar aquas?
 Aspicias hanc animam gemino succumbere fato?
 Nec tua sunt velis astra secunda meis?
 Ascipe nec rabido luctantem desere ponto,
 Naufraga nec medio lina relinque freto.
 Tende manum potius misere, Palinure, natanti,
 Et mento digitos subde vocate tuos.

AMBRO-

AMBROSIVS

Apolog. posteriori.

Pro David cap. 3.

Magnam faciunt tempestatē multitudi-
nes cupiditatum, quæ velut in quodam
Freto corporis nauigantem hinc, atque inde
perturbant, vt gubernator sui esse animus non
possit.



Quis



Quis mihi hoc tribuat vt in inferno pro:
 tegas me et abscondas me donec pertran-
 seat furor tuus; Iob. 14.
 c. Blancus fec.

XII.

Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas
me, & abscondas me, donec pertran-
seat furor tuus? *Iob 14.*

Quis mihi securis dabit hospita tecta latebris?
Tecta, quibus dextera seruet ab igne tua?

Heu! tuus ante oculos quoties furor ille recur sat,
Nulla mihi toties fida sat antra reor.

Tunc ego secretas, umbracula frondea sylvas,
Lustra que solinagis opto relicta feris.

Tunc ego vel medijs timidum caput abdere terris
Aut maris exesa concedere rupe velim.

Tunc voueam abstrusa montis latuisse cauerna,
Vina sepulchrales aut subiisse domos.

Aut numquam aspectos Phœbo, Phœbaque penates,
Aut habitasse tuos, nox tenebrosa specus.

Dum quatit astriferos flammatus Iuppiter orbem,
Et iacit accensa tela trifida manu;

Tristia, nec nocant, metuenda fulmina flamma,
Daphnide, qui metuit, tempora cincta tegit.

Tu rubra cum torques furibunda spicula dextra,
Nulla inuant folijs laureaserta suis.

Nulla

Nulla iuuant tacitis frondosa cubilia syluis;
 Sylua tuis oculis omnis, & umbra patet.
 Clauserat obscura densis se frondibus umbra,
 Carpserat arboreas qui male primus opes;
 Ast ubi vicino vestigia Numine sensit,
 Erubuit, luco proditus ipse suo.
 Nulla iuuat refugo spelunca immanis hiatu,
 Hospita montinagis lustra nec ulla feris.
 Mitia que sensit Medus puer antra leonum,
 Effera Chaldeos antra dedere neci.
 Nulla iuuant clausis speiea obscura latebris,
 Fida nec umbrarum, senta sepulcra, domus.
 Auius oculata deprehendere Lothe cauerna
 Et Cain è tumulo frater humate vocas.
 Quid memorè ut tumida Ionas se merferit vnda,
 Nec mer sum stabili texerit vnda fide?
 Hauserat immani Ionam que bellua ventre,
 Innocuo Ionam bellua ventre vomit.
 Nulla fides vitreo pelagi, nisi vitrea, fundo;
 Peruia perspicio quid tega vnda freto?
 Nulla fides clausi Libitina longa sepulcris;
 Produntur tumulis ossa sepulta suis:
 Nulla fides tacitis, quas vallant saxa, latebris;
 Tecta cauerna suo saepe relecta sono est:
 Nulla fides nemori, vel opata frondibus umbra
 Ambo

LIBER PRIMVS. 79

Ambo caduca pari fronsque, nemusque fide.
Nec mare, nec tellus, neque lustra, nec antra,
nec astra,

Tuta nec illa mihi, que super astra via.
Tu potes hoc tutis solus caput abdere claustris,
Dum tua deposito fulmine dextra vacet.

AMBROSIVS

i. de Paradyso

Cap. 14.

QVo te [Adam] duxerunt peccata tua,
vt fugias Deum tuum, quem ante qua-
rebas: Timor iste culpam fatetur, latebra
præuaricationem.

Nunquid



*Nunquid non paucitas dierum meorum
 finietur breui? Dimitte ergo me ut plangam
 paululum dolorem meum! Iob. 10.*

c. Blancus fec.

13.

XIII.

Numquid non paucitas dierum meorum finietur breui? dimitte ergo me, vt plangam paululum dolorem meum. *Iob 10.*

S Cilicet, In magno cupis hoc me ponere lucro;
 Addita quod vita pars quotacumque mea.
 Si numerata forent aliquot mihi lustra, vel anni;
 Muneris hic poterat nomen habere fauor:
 Stamina sed breuibus iunxisse fugacia filis;
 Obsecro; dic pauci quantula summa, dies?
 Nempe ita qui vitam modò ducere cœperit infans.
 Dicitur moriens, occubuisse senex.
 Sic sua nonnullis descripta est vermibus etas,
 Vna quibus breuis est, integra vita, dies.
 Sic aliquis numerat celeres sibi flosculus horas;
 Natali tumultant quem sua fata die.
 Floscule mane puer, media vir, floscule, luce;
 Floscule, sub noctem, Sole cadente, senex.
 Sic orerisque vno morerisque, ò floscule, Phœbo
 Vno fisque puer, virque, senexque die.
 Staret adhuc volucrum saltem rota lenta dierum,
 Hora nec admissis quolibet iret equis;

F Ver-

Vermiculi canerent; tot plenis viximus horis;
 Flosculus, & totidem, diceret, herba fui.
 Sed tempus rapidis volat irreparabile pennis,
 Fluminis inque modum, lubricus annus abit.
 Menstruus impulsis rapitur quoque solibus orbis,
 Et fugiunt, nullo frena tenente, dies.
 Denique precipitis rota concita vertitur hora,
 Nec remeare potest, quæ semel hora fuit.
 Invida res, tempus; sua se per puncta trucidat.
 Se pariter fugiens, se pariterque sequens.
 Qualis teda suo se flammea funerat igne,
 Quæ sibi fatalem congerit ipsa rogam
 Sic redit in proprium sæclorum circulus orbem,
 Flectitur inque suas annua meta rotas.
 Non fuit antiquis male fabula prodita chartis
 Quæ genitor sobolem commoluit ore suam:
 Nempe vorax annos mensesque interficit ævum,
 Seque, fluendo parit; seque fluendo necat.
 Hora diem mensemque dies depascit eundo,
 Bis senisque senex mensibus annus obit.
 Annus obit, mensesque, diesque, horaque, recedunt,
 Et suus in se iterum tempora gyrus agit.
 Ergo meo exiguum spatium concede dolori;
 Non nisi concesso tempore fata querar.
 Non ego supremis tempus mihi risibus oro;

Non

LIBER PRIMVS. 83

*Non facit ad risus resve, locusve meos.
Pro lacrymis spatium, spatiū pro planctibus opto,
Hæc mihi tantilla, quam peto, causa moræ est,
Ite igitur magnis; lacrymæ, mea flumina, rivis;
Ite, ferite truces ora sinumque, manus.
Ite per os lacrymæ, seuite in pectora palma;
Pars bona, dum statis, temporis, ecce fugit.
Sentio, eunt lacrymæ; repetuntur, sentio, planctus;
Iam fleui & planxi, sistite; iam satis est.*

HIERONYMVS

Epist. 21. ad Paullam.

CVM primūm homo peccauit æternitas
mortalitate mutata est, in nongentos &
ampliūs annos; exinde paulatim recrudescente
peccato, in breue tempus hominum vita con-
tracta est.



*Vtinam scirent et intelligerent ac nouis-
sima prouiderent! Deuteron. 32.*

C. Blancus f.

24

XIV.

Vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima
prouiderent. *Deut. 32.*

PRo pudor! usque adeò est homini mens circa
futuri,

Vt nisi que videat, nulla pericla putet?

Scilicet hoc sapere est, tantum presentibus angi,

Nec procul aspectis consuluisse malis;

Ante tubas, Miles, dicto parat arma duello;

Cum sonuere tube, seriùs arma parat:

Nauiata, quas captat, presagus prospicit auras,

Anchora veliuolum nec remoratur iter:

Quas veniente metet segetes aestate colonus,

Credidit excultis, antè, colonus agris.

Prouida quin etiam metuens formica senecta,

Veetat in annonam paucula farra suam.

O quid agis, gens euentus ignara futuri?

Tempora, que venient postuma; nulla times?

Stamina perpetuo fors nent adamantina filo,

Aut cessant triplices voluere persa colus?

Falleris; ah! nulli datur has placasse sorores;

Vna licet parcat, de tribus, vna secat.

F 3 Fœ-

Fœdera fors pacto sanxere perennia clauo,
 Concordes stabili vitæque, morsquæ fide?
 Falleris, ah! nimum tibi pacta fauentia fingis;
 Non seruant ullam vitæque morsque fidem.
 Ante, niuem fidis lambent incendia flammis
 Iuraque scœdifragis sanciet Auster aquis.
 Antè, dies nocti; pacem nox antè diei
 Seruet, & infestis accubet agna lupis.
 Omnia letifero latè Mors subiugat arcu,
 Quidquid & hoc Phœbi voscitur igne, necat.
 Nemo venenata vitauit arundinis ictum,
 Omnis ab hac cervix, cuspide, vulnus habet,
 Hic teneros Matrum rapit inter brachia, natos,
 Aut cunas, tumulum, cade recente facit.
 Hic pueros, alibi configit arundo puellas;
 Hic iuuenes, illic funerat illa senes.
 Strataque iam nullo discrimine, funera miscet
 Militis atque Ducis corpora mixta iacent.
 Nec micat aurata tibi Crœse cadauer arena.
 Pulcrior aut tuus est, pulcra Rebecca, cinis.
 Aspice, quid cineres sit Caesaris inter & Iri?
 Omnibus en color est vnus, & vnus odor.
 Quid iuuat his igitur tantum confidere rebus,
 Ceu lethi imperio vita soluta foret.
 Stat sua cuique dies, depleto ferrea fuso,

Serius

Serius aut citius quemlibet vrna vocat.
 Cogimur huc omnes, huc summus & infimus ordo
 Ibimus, emenso tempore quisque suo.
 Ac tum si vacuas animus simul iret in auras,
 Vt vapor in nebulas extenuandus abit!
 Morsque foret nostrae quoque meta nouissima vitae,
 Mors simul amborum corporis atque animi!
 Quam bona mors esset posituris morte dolores,
 Quos noua post vitam, vitae morsue dabit.
 Quilibet extremam letus properaret ad horam,
 Et puto, videndi vix superesset amor.
 Sed dolor, heu! non est mors ultima linea rerum:
 Non necat hic animum qui cremat ossa rogas.
 At postquam è terris anima exhalata recessit,
 Iudicis extemplo sistitur ante pedes.
 Ille sedet iustumque & inexorabile Numen
 Flammaque sunt oculi, flammaque fulua caput.
 Illa (tremens, metuensque oculos attollere Caelo.)
 Dura catenata vincula mente gerit.
 Ille sinus animi, fibrasque introspicit omnes,
 Quodque latet taciturno nocte fauente nefas.
 Illa scelus, conuicta, suum pudibunda fatetur,
 Nec videt, effugio, quem petat, esse locum.
 Ille simul Iudex, testis simul, & simul actor,
 Comperti statuit criminis esse ream;

Illa memor nullis hanc flecti questibus aulam,
 Heu! frustra effusis se sepelit lacrymis.
 O, quis tunc anima sensus quæ cura relicta,
 Nullus ubi pro se, iure patronus agit!
 Nempe vocat mōtes & inhospita culmina cautes;
 Antraque queis trepidum condat operta caput.
 O Anima! ò Iudex! ò non placabilis urna!
 Quis secum hæc meminit, nec citò dirigit?
 Sed nondum hoc tanti clauduntur sine dolores;
 Aliera adhuc restant, vitæque, morsque super:
 Vita perennanti quæ secula protrahet ævo,
 Mors longæ extremum non habitura diem.
 Ah quibus, ah quantis laniabitur hæc tormentis!
 O quibus: ò quantis affluet illa bonis!
 Illa, suas pascit Diuino nectare mentes;
 Hæc, miscet liquida pocula plena pice.
 Illa, Chely Angelica, vel gutture carmina fundit;
 Hæc gemit horrendis exululata sonis.
 Illa, agit æternas cælo plaudente, choreas;
 Hæc, salit ad colubros, seua Megæra, tuos.
 Illa, nec æstiuis gelidis nec aduriur astris;
 Hæc furit immiis igne geluque vadi,
 Illa, per ætherios agit otia mollia campos;
 Hæc, agit æterni triste laboris opus.
 Illa dolorum expers, mala nulla, nec aspera sentit;
 Hæc,

LIBER PRIMVS. 89

Hec, patitur dirum quidquid Auernus habet.

O felix opibus, felix tot vita triumphis!

O grauis, o tantis mors metuenda malis!

Vel tua, vel tua nos dubio manet alea iactu,

Alea, non alia proiecenda vice.

Ah subeant vestri geminae sic pectora curs,

Vt semel alterius fors obeunda cadet!

AVGVSTINVS

Solil. Cap. 3.

Quid potest lamentabilius, & terribilius cogitari, quam *Ite?* & quid delectabilius exprimi, quam *Venite?* duæ sunt voces, quarum nihil horribilius vna, & nihil iucundius altera poterit audiri.



*Defecit in dolore vita mea et anni
mei in gemitibus. Psal. 70.*

C. Blancus f.

25.

XV.

Defecit in dolore vita mea, & anni mei in
gemitibus. Psalm. 30.

Hoc erat ergo meis dominās Natalibus astrū
 Ut mihi lux fausta nulla rediret aue!
 Quam leuis optati me temporis aura fefellit;
 Dum toties repeto; Crastinus albus erit.
 Nec tamē albus adhuc mihi crastinus ille reluxit;
 Quin, qui praterijt proximus, ater erat.
 Credideram alternos vitæ succedere casus,
 Inque vices latis cedere mœsta locum.
 Utque serenato detergis nubila cœlo,
 Cùm reuehis clarum Cynthiae pure diem;
 Vique maris reparas fugitiuos, Cynthia fluctus,
 Cùm tingis resfluolittora sicca salo;
 Sic ego venturi non felix temporis augur,
 Omnia pro votis rebar itura meis.
 At mea, quàm dispar, quantoque seuerior illis,
 Quas dat nupta viro, tristitia est lacrymis!
 Coniuge defunctæ his denis mensibus, uxor
 Sola domi queritur, coniugis orba, necem.
 Post decimum sinitur lugubria ponere mensem.

Es

Et peplum niuea vertere triste toga.
 Quis mihi transactus semel est sine luctibus annus?
 Quis vacuus mensis? quis sine nube dies?
 Nulla meis lex dat finemve, modumue querelis;
 Sed parit assiduus se, velut Hydra, dolor.
 Et planctu & lacrymis gemituq, absumitur omnis,
 Ipsaque pars minima est vita caduca sui.
 Sape quidem rabidis sunt equora turbida ventis,
 Sed breuis est, quoties magna procella furit.
 Quasque rapit syluis brumæ inclementia frondes,
 Compensant viridi tempora verna coma.
 Et Notus obscuris quoties tegit æthera nimbis,
 Latior innubi mox redit ore dies,
 At mihi perpetuos contexunt funera luctus,
 Dimpia nec est ullo synthesis atra die.
 Mœstaque nec festo cessauit tibia cornu;
 Pectus, ebur, pugni, plectra, querela, fides:
 Hac Cithara, soles, hoc transigo pectine, noctes;
 His fidibus, vitæ tempora fallo mea.
 O quoties victo suspiria pectore rupi.
 Cum cuperem tacito mergere verba sinu!
 O quoties, lux quanta meis fuit acta querelis,
 Lunaque quanta meis planctibus acta fuit!
 Ne gemerem, memini, toties monuistis amici,
 Multi a que, ne gemerem, credite, facta mihi.
Libera

Libera letitia suastis frena remitti,
Illico letitia libera frena dedi.
Ast ubi singultum compescere risibus opto,
Risibus, heu, gemitus obstrepere meis!
Sapè, volens placidas somno traducere noctes,
Perpetuò vigiles obruor imbre genas.
Dumque diu nimium violentos comprimo fletus,
Heu, mare perruptis effluit aggeribus!
Flumina, vos testes; vos, nota cubilia, sylvæ;
Vosque caue valles; conscia vosque iuga;
Vos testes, quoties suspiria vincere tentans,
Victa, reluctanti murmura corde dedi.
Quin etiam auditis permota ululatibus Echo?
Questibus audita est aggemuisse meis.
Tunc ego, tunc illa, alternis dedimus lamenta,
Fleuimus inque vices, planximus inque vices.
Vt Pandionia sibi dant responsa sorores,
Cum caesum, thalami labe queruntur Ilym.
Et sedet hinc Progne ramo miserabile plorans,
Et sedet inde suum flens Philomela nefas.
Alteraque alterius sequitur suspiria questu,
Admissum lacrymans, utraque crimen auis.
Talis & Alcyone cum naufraga vela mariti
Nequicquam scopulis littoribusque canit.
Aut viduus, viridi nemoris sedet arbore turtur,
Com-

Comparis eterno murmure fata gemens .
 Sic mihi fatidica nerunt quoque stamina Diua ,
 Iret ut optato sidere nulla dies .
 Vique adimant nullos, lamenta perennia iuctus,
 Aut cesset, caussa deficiente, dolor .
 Sed fuit ut prima, gemitus, vox prima loquelæ;
 Sit gemitus vita vox quoque summa mea .

C H R Y S O S T O M V S

Hom. in Psal. 115.

AN non est merito ingemiscendum, quod
 sumus in regione aliena, & in Coloniam
 procul à patria positam amandati .



LIBER

LIBER SECVNDVS.

V O T A

ANIMÆ

S A N C T Æ.



Concupiuit anima mea desiderare iustifica
tiones tuas Psal. iis.

C. Blancus fec.

ib.

I.

Concupiuit anima mea desiderare iustifica-
tiones tuas. *Psal. 118.*

CO Elestem, dubitans, terrenumq; inter amorē,
Nescio, quo statuam sub duce signa sequi.
Ille sub imperium, vocat hic ad pilea; pugnant
Dissimili nimium conditione duces.
Hinc, vocor hinc reuocor, rursusq; inuitor utrimq;
Non secus ac refluxo quassa carina salo.
Ambiguum faciunt Amor hic, Amor ille duellū,
Impediuntque suo sistere vota loco.
Sit satis, ab! tandem mala tot fastidia passa,
Et sinar ad portus spem reuocare suos!
O Deus! aut nullo caleat mihi pectus ab igne,
Aut solo caleat legis amore tua!
Nō nego, quod lubeat, magna est, optare voluptas;
Et modò posse volo dicere, nolo, modò!
Frena nihil patitur minùs, atque libido venendi,
Nec se lege sinunt libera vota premi.
Ut vagus exultim lorisque, lupisque solutus
Quoslibet in pastus currere gaudet equus:
Aut stabulo ruit, & viridi mox voluitur herba,

G

De-

Deposito nimium bucula leta; iugo.
 Ast ubi mox reuocat consuetam ad aratra colonus,
 Excudit ille lupos, illa recusat onus,
 Scilicet expetiunt libertas una uouendi,
 Quae satis est, quamuis utilitate vacet.
 Sic Phaeton, patriae ruiturus ab axe quadrigae.
 Appetis ignotos flectere rector equos.
 Sic quoque non solitis dum niteris altius alis
 Icare, sabieclis labere mersus aquis.
 Quam varia superam lassas prece tundimus aures?
 Celitibus, puto nos saepe mouere iocum.
 Ille uouet nuptam, nupta uouet ille sepulcrum;
 Hic sobolem nasci postulat, ille mori:
 Ille Patri mortem, Patri rogat ille salutem;
 Hic fieri iuuenis supplicat, ille senex,
 Vix, puto, consentit centum de millibus unus;
 Quin aliquis voto dissidet ipse suo.
 Denique quid Superos oret, pars maxima nescit,
 Tam noua quisque sibi vota, precesque facit.
 Sic ubi iam gravidas stimulant fastidia Matres,
 Obscenam satiant ferula pudenda famem:
 Scilicet expeditur modo calx, modo creta palato;
 Et modo, quae stomacho displicuere, placent.
 Quid desiderijs ultra tot inanibus vrer?
 Quid iaculor nullo votaue spesque scopo?
Este

*Este procul gemitus, procul anxia turba, timores;
Sollicitaque preces, vota que, spesque procul.
O Deus, aut nullo valeat mihi pectus ab igne,
Aut solo caleat legis amore tua.*

AVGVSTINVS

Solil. c. 12.

Allide Domine concupiscentiam meam
dulcedine tua, quam abscondisti timen-
tibus te, vt concupiscam te concupiscentijs sem-
piternis, ne vanis illectus & deceptus interior
gustus penat amarum dulce, & dulce amarum.





Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiēdas
iustificaciones tuas: Psalmus.

G. B. H. v. s. f. e. o.

17.

I I.

Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas
iustificationes tuas! *Psal. 118.*

QVO ferar? in tanto deprensa errore viarū,
Sectum vbi tam vario tramite fallit iter?
Hæc abit in dextram subit altera semita lauam,
Illa tumet cliuis, vallibus ista iacet.
Hæc faciles aditus, aditus habet illa malignos,
Et quos illa tegit, detegit illa dolos.
Quoque vel hæc tendat, vel quò se porrigat illa,
Exitus implexo sine videre vetat.
Non ita, qua partes via se findebat in ambas,
Herculis ambiguum fecit euntis iter.
Nec totidem refluis Maander flectitur undis,
Ipse suis quamuis obuius erret aquis.
Nec labirynthæi tanta est fallacia tecti,
Curua licet varijs flexibus antra tegat.
Heu, grauiora meos cohibent discrimina gressus?
En gemina dubiam parte pericla premunt.
Non ego qua metuam diuortia mille viarum;
(Solutus Dedalea, qui fuit æde labor)
Sed præter varios curuis ambagibus orbes,

G 3

Nox

Nox etiam cœcas celat opaca vias;
 Nullaque se presso monstrant vestigia signo,
 Quâ populus trito calle, notarit iter.
 Et licet explorem præteritis obuia palmis,
 Et vitem obstantes, tubera dura, petras.
 Vix satis inceptos ausim producere cursus,
 Sed retinēt timidum noxque dolusque gradum,
 Lassus ut ignota cum fors regione viator
 Opprimitur nebula præcipitante diem;
 Nullaque iam toto collucent sidera Cælo,
 Nec propè sunt vlla, rustica tecta, case;
 Nullaque signato callem notat orbita sulco,
 Vlla nec humano semita trita pede;
 Nec scit, an in sylvas, an eat ruiturus in undas,
 Longius inceptam si paret ire viam;
 Tum validis mutos compellat vocibus agros,
 Si quis aberranti præstet arator opem.
 Vique vel è stabulis, tacitisque quis audiat antris,
 Ingeminat longos, terque quaterque sonos.
 Omnis at in surdas clamor volat irrius auras
 Nullaque Pastoris verba remissa sonant.
 O quis in his tendat mihi stamina fida periclis?
 Quis Deus, in tanta, sit mihi nocte Pharos?
 Isacidas quondam per inhospita regna vagantes,
 Insolitas docuit clara columna vias:

Stella

Stella comes monuit Nabatheos lumine reges,
 Paruaque Bethlemia duxit in antra domus.
 Quin recreant trepidos, fratrum duo sidera, nautas
 Tu quoque mi gemini Castoris ede facem.
 Gnosis aberrantem reuocauit Thesea filo,
 Sestaque Leandro fixit amica facem,
 Ecce ego sum Theseus, vice tu mihi sis Ariadnes,
 Cumque ero Leander sis vice Sestiados.
 Aspicias ut multi, vaga turba, per aua currant,
 Et suis huc, illuc, quemlibet error agat?
 Hic cadit ignota praeceps Regione viarum,
 Ille vago cecum tramite versat iter:
 Hic celerat cursus; hic passu deside lentat;
 Sapius ille suos fertque, refertque gradus;
 Hic diuersus abit lateri comes ille propinquat;
 Hic Comitibus ductu fallitur, ille suo:
 Perpetuos aliquis vestigia flectit in orbes;
 Alter in obliquas voluitur vsque vias:
 Hic ratus ad certam cursu se tendere metas,
 Decepto repetit limina prima pede:
 Deniq; in errorem facto ruit agmine vulgus,
 Quodque tenere decet, vix tenet vllus iter.
 O vtinam, recto tendat mea semita ductu,
 Nec fraus decipiat tramitis vlla gradum?
 Qualis at excusso fugit irrenocabilis arcu.

Dum volat ad certum missa sagitta locum;
Talis inoffenso festinet limite cursus,
Qua tua nempe monent tendere iussa, via,
Esto igitur, mea lux, quoties iaculabere, nervus;
Quemque peres iaculis, lex tua sancta scopus;
Quaque scopum cupies certus tetigisse sagitta.
Illa ego sum digitis lecta sagitta tuis.



AVGV.

AVGVSTINVS

In solit. cap. 4.

O Domine qui es lux, qui es via, veritas, & vita, in quo non sunt tenebræ, error, vanitas, neque mors. Dic Verbum Domine; fiat lux, vt videam lucem, & vitem tenebras: videam viam, & vitem inuium: videam veritatem, vitem vanitatem: videam vitam, & vitem mortem.

Per-



*Perfice gressus meos in semitis tuis, ut
non moueantur vestigia mea. Psal. 16.*

C. Blancus. fec.

18.

III.

Perfice gressus meos in semitis tuis : vt non moueantur vestigia mea . *Psal. 16,*

E Rgo caduca gradum toties mihi tibia fallet.
 Sternet & in plana pes vitiosus humo?
 Aspice, qui Coelis hominum vestigia spectas,
 Firmaque fac presso stet mea planta solo.
 Instruit implumes pennata Ciconia pullos,
 Et docet aerias prepes inire vias.
 Exemplo volucrem sequitur modo filia Matrem,
 Tutaque iam peragit, quod metuebat, iter.
 Prouocat expansis sobolem Iouis armiger alis.
 Et iubet insuetas sollicitare plagas.
 Mox praet, & pleno se iactat in aere lapsu,
 Remigio soboles subsequiturque patrem.
 Dum primum ignotas tentat puer inscius undas,
 Corporis indoctum subere fulcit onus:
 Mox opis oblitus, stumen sine cortice tranat,
 Flumen in experto saepe sed ore bibit:
 Sapius at doctis ubi planferit equora palmis,
 Ducit in immenso brachia tuta salo.
 Aspice, qui Coelis hominum vestigia spectas.

Aspice

Aspice qua nobis arte leuetur iter :
 Sustineor fragili puerilia membra curuli ,
 Quaeque vehunt socias ipsa propello rotas .
 Nempe tripes baculi sic stipite nititur aras ,
 Quiqua senem vectat , à sene fertur equus ,
 Nec tamen ambiguis malè decipiare querelis ;
 De pedibus , tecum , nulla querela meis .
 Nec vitio planta ; vitio neque crura laborant ,
 Saxa per & salebras tibia nostra salit .
 Non ego pennipedi dubitem certare Camilla ,
 Isse per intactas qua pede , fertur , aquas .
 Quod queror , est animi vitiū lacrymabile nostri ,
 Qui , quibus incedat , languidus est pedibus .
 Heuiacet afflictis , affectibus omnibus aeger !
 (Hi , quibus incessit , nempe fuere pedes)
 Si quod iter , quamuis breue sit , virtutis eundū est ,
 Mens mihi fit minima lassata labore via ;
 Crura forent fragilis veluti tua . Nyle , papyrus ,
 Quaeque ruit mota canna palustris , aqua .
 Rarus , at immodicus quandoq ; resuscitat ardor ,
 Et pede fulmineo stringere cogit iter :
 Sed bene vix coeptū , currendi extinguitur ardor ,
 Lampadis vt magno flammula parua Notō ,
 Ne tamen ignavis videar segnescere plantis ,
 Promoueo tardos pigra subinde gradus .

Aſt

Ast mea tunc, caueam quisquam vestigia seruet,
 Ne puter immodicis ebria facta scyphis.
 Scilicet in partes, ita tibia claudicat ambas,
 Semipedis claudi pes ut hiulcat iter:
 Nunc volo, nunc nolo, nunc aestuo, nunc languesco,
 Nunc stupet ut rigido mens religata gelu:
 Impatiens igitur, coepti sine fruge laboris,
 Sape via medio, lassata retento gradum.
 Sed neque, qua languens statione resistere tento,
 Instabilem valeo figere firma pedem.
 Auferor aduerso velut incita puppis ab aestu,
 Quam neque vis remi nec sua vela iuuant;
 Damnaque sunt iterum vano redimenda recursum,
 Irruus, eterno sic redit orbe labor,
 Nempe catenari, sic publica corpora, serui
 Circumcunt, toties pendula tecta mole;
 It mola, per que suos rapitur circumuaga gyros,
 Sed perit his, quicquid conficit illa via.
 Heu quid agam! neque sueta vehi neque currere
 Nec pedibus minimas utilis ire vias! (docta,
 Magnum iter est Coelo magnis huc passibus itur,
 Quid faciet lentis nostra quadriga rotis?
 Tu spatia ingenti perlaberis ardua saltu,
 Vastaque tergemini crura gigantis habes.
 Loum passu, Hesperiumque amplectere mundum,
 Sub

Sub femur ut Rhodius vela Colossus agit:
Ast testudineo reptat mihi tibia gressu,
Aut chelis referor; Cancer adunce, tuis.
Quid positas igitur sperem contingere metas,
Qua metas refugo perdita sector equo?
O Deus, ambiguos trepidantis perfice gressus,
Vincat & applausis nostra quadriga rotis!



AMBR O S I V S

De fuga seculi Cap. I.

Q Vis inter tot passiones huius corporis
inter tantas illecebras huius seculi tutū
atque intemeratum seruare potest *vestigium*.

Con-



Veni dilecte mi, egrediamur in agrum,
commoremur in villis. Cantic. 7

G. Blaucous fecit.

22.

Co
L
Cer
S
Ho
L
Ser
V
Tri
P
Et p
Q
Asp
A
Et l
S
Cur
D
Plur

I V.

Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim
tuis timui. *Psalms. 118.*

Littera prima rudi quondã inculcata iuuenta,
Fertur ab antiquis, Numinis esse *Timor* :
Certaque non alia Sapiencia discitur arte
Si qua fides verbis, Nate *Dauid*, tuis :
Hoc quoque nostra fuit formata puertia ludo,
Docta que sidereas mens trepidare minas.
Semper at heu ! tantis stupuit mens cœca tenebris,
Ut neque, quod toties audiit, *Alpha* sciat.
Tristibus *Orbili* plectenda ignavia sceptris,
Post male tot positos, nil didicisse, dies !
Et pueri ferulis segnes *Elementa* docentur,
Quæ leuis assequitur sedulitate labor ;
Aspiciunt nigras *Cadmi* bis, terue puellas,
Aspectasque vocant, nomine quamque suo.
Et licet atratio sit par color omnibus ore,
Signa tamen faciem propria quamque notant.
Cur ego quod teneris *Infantia* combibit annis,
Discere non etiam tempore posse putem ?
Plurima sunt, nullo penitus mihi docta *Magistro*,
H Cur

H

Cur

Cur disci nequeat, arte iuuant, Timor?
 Ah pudet! en timeo, quæ contempsisse decebat;
 Non timeo iustos quæ meruere metus.
 Flagitium, minimo timeo committere teste,
 Non timeo facinus, teste patrare Deo.
 Ne corpus perimant, metuo de nocte latrones,
 Nil metuens Anima certa pericla mea.
 Nempe fugit picta sic passer imagine larua,
 Illita cui visco virga timenda fuit.
 Sic tremat aspecta ceruus formidine penna;
 Nec tremat obstantes, agmina rauca canes;
 Sic quoque, Marmarica trepidat leo terror arena,
 Et cadit in tensas, territus igne plagas.
 Heu premit humanas furor hic caligine mentes;
 Fulgetras metuunt, fulmina nulla pauent.
 Subiicitur pedibus nigri metus omnis Auerni,
 Creditur & stygijs fabula ficta foci.
 Scilicet, abiecto leue fit scelus omne timore,
 Sed grauis insequitur pœna Timore, scelus.
 Flagitijs demum incipiunt trepidare peractis,
 Ante scelus, nullus pectora terror habet.
 Tum pauor heu madidis mentem sudoribus angit,
 Et læsi ante oculos Numinis ira redit.
 Tum subitus strato vigiles Timor excutit artus,
 Propria tum vacuos terret imago choros.
 Si strepitum moti dederit mus stramine lecti,

Creditur è syluis exiluisse leo.

Nocte leuis quassa si murmuret arbore ventus,
 Horrescunt rigida, fronde sonante, coma,
 Quid faciant, subitis si fulminet ignibus aether,
 Aut sonet aethereo grandior axe fragor?
 Pectora caelesti stupeant percussa tumultu
 Et flamma metuant dissiliente peti.
 Tunc terrent auræ, tunc terrent scilicet vmbrae,
 Augurioque notant omnia signa necem.
 Quin etiam nemorum nocturna silentia terrent,
 Ipsaque se fontem mens furiosa timet.
 En quantum miseris poena, mens conscia donat?
 Ipse in sese animus verbera tortor agit.
 Heu quoties stygi, turbato in Casare, manes;
 Phas salici quoties emicui istis agri!
 Saue Patris vindex, furis agitaris; Oreste,
 Vmbra trucidata viua Parentis erat.
 Mæste colubriferæ Pentheu laniaris Erynni,
 Vindicat hoc lesos verberare Diua Deos.
 Nulla reos animos agit magè dura Tirannis,
 Quàm testem assiduè pectore ferre suum.
 O Deus! o confige tuo mihi corda timore?
 Ne peccem, furor hac cuspide noëter eget.
 Vtilis ante scelus Timor est qui frena gubernet,
 Qui timet, admissio crimine serò timet.

BERNARDVS

Serm. 29.

PRudenter sagittari & impugnari salubriter postulat sanctus cum dicit in oratione: *Confige timore tuo carnes meas.* Optima *Timor* est sagitta, qui conficit, & interficit carnis desideria, vt spiritus saluus sit.

Auerte

i-
e:
or
i-



*Averte oculos meos ne videant vanita:
tem Psalmis.*

C. Blancus f.

20.

V.

Auerte oculos meos ne videant vanitatem . Psal. 118.

Pervigilant geminae celso mihi vertice stella,
 Quaeis est perpetuis munus in excubijs .
 Nec tamen errantes neque possum dicere fixas,
 Sed merito, duplex utraque nomen habet .
 Errat ab officio vaga saepius utraque iusso,
 Utraque docta suum fixa tenere locum .
 Motibus ambae agiles, fixa statibus ambae,
 Quod genus hoc stellas Oedipus esse putet ?
 Vos, oculi; vos conspicua duo lumina frontis,
 Sidera vos estis, quae mihi bina micant .
 Vos, quibus in celsa statio data pervigil arce,
 Excubat ut summa lucida flamma Pharo,
 Aut qualis specula servans spectator ab alta,
 Quaeque propinqua, videt; quaeque remota, videt.
 Non tamen ut trepidis qui lucent naubus ignes,
 Vos mihi tam fida lampade fertis opem :
 Flamma regit nautas, dum flammam tedia ministrat,
 Aut flammam retrahant quae posuere manus;
 Vos (velut excussis rapidus ruit axis habenis,

H 4 Fre-

Frenaque qui rupit durior oris equus,
 Quò iubet, indomitum differtis in auia cursum,
 Iam nulla Domini lora regente manu.
 O oculi! scopuli titulo meliore vocandi!
 Heu quibus allisa tot periere rates!
 Dina peregrinas virgo visura puellas;
 Mater deposita virginitate, redit.
 Rex videt Vriaden nitido semel amne lauante,
 Illa, Cupidineas vibrat ab amne faces.
 Pulcra Duci Assyrio dum comit Iuditha formans
 Assyrium truncat Iuditha compta Ducem.
 Forte senes niueam semel aspexere Susannam,
 Ambo senes oculis interiere suis.
 Non tot, ad infames, dura Acroceraunia, cantes,
 Hyppotada laceras contudit ira rates.
 Non tot, in expletis fera faucibus vnda Malea,
 Scyllaque veliferas hausit auara trabes.
 Quis pia nunc igitur non laudet fœdera lobis,
 Quae cum luminibus sanxerat ille suis?
 O oculi? ò quanto vos tutius illa revulsit,
 Democriti, proprijs dextera magna canis!
 Quàm benè Christi adum quoque nobile Lucia, no-
 Extudit intrepida lumina bina manu! (mem.)
 O oculi! ò scopuli! crudelia, barbara, saxa!
 Saxa, quibus magna tot cecidere Anima!
 Quàm

Quàm male commissio geritis pro munere curam:

Ad mala quos toties sensimus esse Duces!

Scilicet hac vobis, capitis custodia lege,

Præcipuaque arcis credita cura fuit:

Vt rectos hominum vultus, sublimiaque ora

Digna Polo, bruta deprimeretis humo.

Quin potius Superis mentes attollitis oris,

Hæcque super terras, Oceanumque super?

Stellarumque super, mundiue volubilis orbes,

Denique quicquid habet lunaque, solque super?

Illius o oculi? spectacula pulcra theatri,

Materies, vestris lusibus apta foret.

Putre sed æternis cœnum preponitis Astris,

Omnis et in terras pronior iuit amor.

Quid faciam? abruptis oculi regnatis habenis,

Iam frenum indociles imperiumque pati.

Obde, Deus, piceas oculis erronibus umbras,

Aut superiniecta lumina claude manu.

AUGVSTINVS

Solil. Cap. 4.

VÆ cæcis oculis qui te non vident, sol illumina-
 minans cœlū & terram! væ caligantibus
 oculis, qui te videre non possunt! Væ auertenti-
 bus oculis, vt nō videant veritatē! Væ non auertē-
 tibus, vt videant vanitatem!

Fiat



Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, ut non confundar. Psalmus.

C. Blancus f.

21.

V I.

Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, vt non confundar!

Psalm. 118.

SI tibi me gratam facie fore, Sponse putarem.
 Nulla mihi prior hoc cura labore foret.
 Primaque de nitidis cautela coloribus esset,
 Altera, deformes ore fugare notas.
 Nullaque deficerent medicandis vultibus arma,
 Multa sed omnigenas pixis haberet aquas.
 Multaque compositos celaret capsula colores,
 Quaeque nouant vetulam picta venena cutem,
 Lanaque purpurei madefacta rubedine fuci,
 Cretaque montanas vincere nata niues.
 Et nitri rubra spuma, & pinguis poppeana,
 Quaeque cutis maculas, Halcyonae, necant.
 Denique quicquid id est, quo tingitis ora, puella,
 Ah nimium formae gens studiosa tua!
 Tunc quoque corrigerem speculo censore lituras,
 Ore nec in toto munda notanda foret.
 Sique supercilij pilus vnus abesset ab arcu,
 Vnicus ecce pilus, vociferarer, abest.

Si

Si color inficeret vitiatos decolor orbēs,
 Luminibus color hic, vociferarer, obeſt.
 Si nimis adductam conuolueret area frontem,
 Quæ mihi ruga cutem, vociferarer, arat?
 Nempe vel exiguo metuam te ladere nauo,
 Vlla foret formæ ſi tibi cura mee.
 Vnaque quæ tumidum faceret verrucula clium,
 Hæc foret offenſa cauſa putata tua.
 Atque ita de minimis audirer dicere mendis
 Diſplicet hæc ſponſo fortè litura meo.
 Noſtro igitur reliquus ſi quis decor abforet ori,
 Exumeret vitium factus ab arte decor.
 Caſariemque alto ſtruerent tabulata capillo,
 Staret & in volucri plurima gemma coma.
 Aure duplex gemini pretium penderet Elenchi,
 Iret Erythraus colla per alba lapis.
 Tumque ego ſic faciem, rutilos ita compta capillos,
 Auderem ternas vincere quarta Deas.
 Sed memini; neque te facies, neque forma laceſſit,
 Spes capit hæc cæcos inuidioſa procos,
 Qui quid ament, inter phaleras tot, ſapè requirunt;
 Quas ubi ſuſtuleris, pars quota Virgo ſus eſt?
 Fallitur infido prope, turba leuiſſima, fucos;
 Præter et hæc phaleras, vix quod ametur, habet.
 Aequabat nineos par VVilgefortis olores

Nota

Nota nimis forma nomine virgo sua.
 Fiat ut Androgynos setosis hispida malis;
 Barba, rogat, teneras, vestiatur hirta genas,
 Lucia sydereis, ceu fax, lucebat ocellis,
 Cunctorumque oculis, lucia, sidus erat.
 Ne male luceret, mea lux, extinguere, dixit;
 Fodit & impacta lumen utrumque manu?
 Laeserat egregio multos Euphemia vultu,
 Fecerat & roseis vulnera multa labris:
 Ut fieret mutilo, foedoque inamabilis ore,
 Abscidit ense duas, bina labella, rosas.
 Maxima de facie verus praeconia rumor
 Deque tuis dederat Andragesina genis:
 Non poteras veram falsi convincere famam,
 Quod poteras, facta est per tua vota, brevis.
 Sponse, peregrina non carperis igne figura,
 Nec bene crispata falleris arte coma:
 Cor tibi labe carens, tibi cor sine crimine, cordi est
 Obstet & ut facies, cor tibi sponse, placet,
 O utinam mihi cor nullis infame lituris
 Flagitij purum suspitione vacet!
 Tum securus tui mihi mens gestiret amoris,
 Nec mea deijceret conscius ora pudor.

H V G O

De S. Victore

in Arrha Anima.

O Maculae foedae, & turpes quid tam diu
haerentis? abite, discedite, & ne praesu-
mite amplius oculos dilecti mei offendere.



Veni

n die
æsu-

eni





*Confige timore tuo carnes meas, a
iudicijs enim tuis timuij Psalmus*

C. Blancus fec.

19

Hæc tua si mensa est, sat mihi ruris, ait,
 Mox vice conuersa, mus Rusticus iuit in urbem
 Urbico in hospitium mure vocante suum:
 Magnaque cum tanto minor esset mensa paratu,
 Ut sonuere fores mensa relicta fuit;
 Et propè deprenso conuiuia expalluit hospes,
 Turbati que suum vix reperere cauum.
 Rusticus ast animo sensim cum voce recepto,
 Corripuit celerem Musculus urbe fugam:
 Et procul è cliuis oculos ad mœnia torquens;
 Quàm meus his præstat mœnibus inquit, ager!
 Iam satis urbanas, mea lux habitauimus edes,
 Vrbe volanti strepitus, rus colit alta quies.
 Si memores (subeat tibi pars lautissima vulgi)
 Quisque suburbanum rus propè ciuis habet;
 Cumq; suam assiduè commendet quilibet urbem,
 Re tamen, ipsa magis rura placere docent.
 Quin, quorum imperijs vrbes, arcesque reguntur,
 Anxia securo pectora rure lenant.
 Et magis hic puri libertas aurea Cœli,
 Quàm laqueata, domi, marmore recta placent.
 Nec que centeno sinuat se porticus arcu,
 Lenit, ut ambiguos paruula villa, meus.
 Iam satis urbanas, mea lux, habitauimus edes,
 Quin semel in villis degimus, aut in agris?
 Est

Est mihi fontanis circumdata villulariis,
Villula, qua nusquam cultior vlla viret.

Seu Cœli ingenio, seu fertilis indole terra,
Aptaque vicini commodiate loci.

Huc mea lux, paucis tantum si veneris horis,
Oblitus patriæ protinus vrbis eris.

Tumq; ego, ceu tacita turtur meditatus in umbra,
Libera, colloquijs, Sponse, vacabo tuis.

Et procul à populis procul vrbibus atque tumultu
Optata toties, sola, quiete fruamur.

Audiet hic nullus quæ mutua verba loquemur,
Nostraque qui turbet otia nullus erit.

Quique notet nostros, nemo metuendus, amores,
Tetricus hic nullum ius sibi Censor habet.

Tunc mihi tu promes secretis intima fibris.
Quæq; inuent animum verba cupita meum.

Tunc ego, si quanta dicam tibi, saucia flamma;
Quæque licet similes, dicta placere, scio.

O semel optati micet hac mihi fideris aura;
Quam fortunato lux erit illa die!

Nam satis Urbanas, mea lux, habitauimus edes,
Nostra sit exiguo tempore, villa domus.

V O T A
HIERONYMVS*Epist. 1. ad Heliod.*

Quid agis? quamdiu te tectorum vmbra
premunt? quamdiu fumosarum vrbium
carcer includit? Crede mihi, nescio quid plus
lucis adspicio, libet sarcina corporis abiecta ad
parum ætheris euolare fulgorem.



Trahe

mbra
bium
d plus
cta ad

ahc



*Trahere me, post te curremus in odorem
unguentorum tuorum Cantic. i.*

c. Blancus fec.

T
A
Vix
Ip
Lass
Sa
Affi
N
Surg
N
Nun
N
Cum
Qu
Heu
Te
An fi
Ne
Aeger

VIII.

Trahe me post te, curremus in odorem un-
guentorum tuorum. Cant. 1.

Aspicis ut iaceant strati sine viribus artus,
Nec sum qualis eram, sola sed umbra mei.
Vix traho pertesa fastidia tetrica vite,
Ipsaque sunt oneri languida membra sibi.
Lassa iacet capitis nimio sub pondere cervix,
Sarcina suntque manus, sarcina suntque pedes.
Assidueque novam querunt iactata quietem,
Nec scio quo tandem fessa locare sibi.
Surgere nunc meditor, nunc lassa recumbere strato,
Nunc nixum cubito sustinuisse caput.
Nunc lubet inuerso, nunc ore cubare supino,
Nunc aliud lateri substituisse latus.
Cumque ori cunctas peragraui languida partes,
Quilibet ex aequo displicet usque locus,
Heu! quid agam, grauis ipsa mihi, languensque iacensque,
Teque volens cursu, non tamen apta, sequi:
An fugis & medijs morientem deseris agris,
Nec mora tanta datur dum comes ire queam?
Aeger ita in Libycis, à milite, miles arenis

Deseritur, subita cum data signa fugæ;
 In trinijs genitrix ita proijcit impia natum,
 Quem lactare pudor, pauperiesve vetat.
 Tende manum, nostrique pius miserere doloris;
 Tende manum refugo vel pede siste gradum.
 Troica Dardanius cum Pergama cingeret ignis.
 Quisque senem rapuit filius igne patrem.
 Trans mare defessam fert nata Cleonia matrem,
 Sustinet hinnulei Cerna natantis, onus.
 Tu solam ignotis, fugitiue, relinquis in aruis;
 Nec sinis hoc humeris ponderis esse tuis?
 Quamquã ego, vel fieri tibi sarcina tãta recusam,
 Si modo vel leuitor traxeris, ipsa sequar.
 Et sequar & curram, rapiarque simillima vento,
 Languida funesto quã modo strata solo.
 Nec quibus inuitam cogas, opus ense, vel armis;
 Sponte nec iniecto, libera, fune sequar.
 Traxit ad impulsa querulus testudinis ictus,
 Cum syluis Geticas Thrax Cytharista feras.
 Traxit & attonite syluæque, feræque stupebant;
 Sic fide, sic filo, se potuisse trahi.
 Non ego Bystoniæ mouear testudine Vatis,
 Nec trahar Aonia voce sonante lyra.
 Quemq; sui rapiunt sensus, sua quemq; voluptas;
 Se finit hic oculis, auribus ille capi.

Non

Non ego luminibus, non auribus otia venor;
 Noster Achamenij languor odoris eget.
 Lux mea, rorilegis halat tibi spica capillis,
 Manat odorata Palladis imbre caput.
 Vda Palestino fragrant tibi tempora nardo,
 Myrrhaque de madidis stillat odora labris.
 Efflat Orontei tibi graminis halitus auras,
 Verbaque quot loqueris tot iacis ore rosas.
 Albaque Pancheo cervix tibi sudat oliuo,
 Assyrioque humeros rore perungit Onix.
 Et manus Ambrosijs pluit utraque roscida guttis,
 Et digiti Libyca germina messis olent.
 Denique quicquid olent conchis unguenta Sabæis,
 Balsama quicquid olent, hoc meus halat Amor.
 Nec solum Assyrijs que sudant balsama ramis,
 Nataque odorifero thura Sabæa solo:
 Fragat Orontæis hic spica suavior herbis,
 Guttaque Pancheis nobilior lacrymis.
 Nempe tuo qualis, Basiliissa pudica, cubili.
 Qualis odor thalamo, Cecili casta, tuo.
 Aut qualis, cum Dorotheæ pennatus Ephebus
 Attulit hybernas germina verna rosas;
 Aut Nasarenigena qualis cum Virginis ædem
 Sparsit Iessæi floris anhelus odor;
 Denique Divorum qualis cum gemmea stillant

Indi-

*Indigetum liquidis amphitheatra crocis.
O semel has liceat mihi ducere naribus auras
Qua modò languebam, sana repente sequar.
Multaque currentem sociarum turba subibit,
Ut glomerat socios vecta columba greges.*



G I L B.

In Cant. hom. 19.

Tenax est funiculus amor; amor affectuose trahit, cui est idipsum alloqui, quod est allicere: nihil amoris tenacius vinculo, nihil trahentius.

Quis



Quis mihi det te fratrem meum, sugen-
tem ubera matris meae, ut inueniam te foris
et deo scūer te et iam me nemo despiciat
Can. 8.

C. Blancus f.

24.

I X.

Quis mihi det te fratrem meū fugentem vbe-
ra matris meæ, vt inueniam te foris,
& deosculer te, & iam nemo me
despiciat. . *Cant. 8.*

Quis cumulet patrias tāto mihi stēmate ceras,
Frater vt ad fratres annumerere meos?
Non tamen hoc facio pro stirpis imagine voturus,
Nulla mihi augendi sanguinis ambitio est.
Stirpe licet nostra sanguis tibi vilior esset,
Optarem fratrem te tamen esse meum.
Non pubente quidem vernantem flore iuuentis,
Prima cui roseas vestiāt umbra genas:
Sed puerum, toto qui nondum vixerit anno,
Lactis adhuc mater quem mea pascat ope.
Quique ego quas suxi, paruo trahat ore papillas,
Insideatque illos quos ego sepē, sinus.
Hoc ego vel simili cupiam te corpore fratrem,
Si fueris maior, non ego te cupiam.
Quin ignur nostris, mea vna renascere seclis
Vt videam cunas, pusio parue, tuas?
Et nisi fallor habent pueri quid amabile mores,
Queque

Quoque carent iuvenes, virque senexque carēt.
 Utque suam quævis laudem sibi vindicet ætas,
 Ille tamen pueros scilicet ornat amor.

An dubitas, alias puerili pufio vultu,
 Ipse Deum domitor, paruulus esset, Amor?
 Nō nisi quod reliquis, magis hæc sit amabilis ætas,
 Nullaque sit tantum quæ, quod ametur, habet,
 Hæc quoque, cur voueam puerū Te caussa coëgit,
 Crediderim, puero quod mage posse frui.

Quin igitur nostris, mea vita, renascere sæclis
 Ut videam cunas parue puellæ, tuas?
 Tum mea, ceu nato, quoties daret vbera Mater
 Parue, Tui toties copia prompta foret.
 Prompta foret noctuque, diuque, domique, forisque,
 Et sine sollicito copia multa metu.

Quin igitur nostris, mea vita renascere sæclis,
 Osculer ut cunas parue puellæ tuas.
 Casta, soror paruo quæ porrigit oscula fratri,
 Oscula derisor carpere nemo potest.
 Et licet illa frequens spectauerit oscula testis,
 Illa tamen testis carpere nemo potest.
 Et licet inceptas stiterint hæc oscula voces,
 Semper habent iustas oscula casta moras.
 O bona, quæ nostris faueant ita Numina votis,
 Teque velint fratrem sic semel esse meum!

Nasce-

LIBER SECVNDVS. 143

Nascere parue puer, fraterque admittite vocari;
 Omnia te mundi vota, precesque petunt.
 Quid præ lætitia, facerem tibi paruule frater?
 Abi præ lætitia, quid tibi non facerem?
 O quoties veitis furtim deprenderer horis,
 Peruigil, ad cunas, nocte stetisse tuas?
 Quot tibi seruitijs soror obsequiosa, studerem,
 Forte vel officijs facta molestæ meis.
 Nempe dato quoties depelleret ubere mater,
 Depulsum geminis exciperem manibus;
 Aut quoties tepida gestare iuberet in umbra,
 Gestarere vlnis sarcina grata meis.
 Aut quoties blando dare languida lumina somno,
 Somniferis caneret vox tibi nostra modis.
 Ipsaque, cum digitos cunis adhiberet agendis,
 Illicet hoc à me præriperetur opus.
 Mox ubi te nostra concrederet anxia cura,
 Discendensque mihi diceret, esto vigil:
 Excubijs, soli prope Te mihi, parue, relictis,
 Quam facerem votis libera frena meis
 Continuo, tacite, velo de fronte reducto,
 Explerem aspectu lumina noctra tuo.
 Inque tuo, fixis herens obtutibus, ore,
 Vterer oblatis commoditate loci:
 Et citò subyocerem capiti, colloque sinistram,
 Appri-

Apprimeretque meo Te mea dextra sinu.
 Et tibi, vix tactis furarer basia labris.
 Basia sic somno non, nocitura tuo.
 Quin igitur nostris mea vita renascere sacris,
 Ut semel optatas suauiter ore genas?
 Mox ubi lactanti sensim tibi cresceret etas.
 Primaque discenti, verba docenda forent;
 Discenti cuperem fieri tibi, parue, Magistra,
 Blasque, truncatis verba præire sonis:
 Cumq, geri alterius nolles modo grandior, vlnis.
 Ausus arundineo currere solus equo,
 Instruerem stabili vestigia figere gressu,
 Membraque constanti firma locare pede.
 Tumq, molesto aliquod si offenderet obyce saxum,
 Tutus in extensas exciperere manus.
 Quin tua sæpè velim falli vestigia lapsu,
 Lapsus ut amplexu sustineare meo.
 Nec tanti pretium peterem mihi grande laboris,
 Suauiole pretium solueris omne tuo.

LIBER SECVNDVS.

BONAVENTVRA

Soliloq. cap. 1.

Ignoravi quod tam suavis, ò bone IESV,
esset tuus amplexus, tam honestus tactus
tuus, tam deliciosus conuictus tuus, cum enim
te amaui, munda sum; cum accepero, virgo
sum.

R

In



In lectulo meo per noctes quæsiui
quem diligit anima mea. quæsiui illum et
non inueni. Cantic. 3.

C. B. Vanicus f.

25

X.

In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit
anima mea; quæsiui illum, & non
inueni. *Cant. 3.*

Casta canunt nostræ suspiria, votaq; Musæ,
Nullaq; de thalamis vox, Hymenæe tuis.
Ut sua corporibus, sic mentibus est quoq; flamma,
Et propè deterior corpora flamma coquit.
Intus in accensis qui mentibus aestuat ignis,
Delicias liquidi solus amoris habet.
O quanto his, Anima, facibus melioribus ardent?
Oscula quàm certa dantque feruntque fide?
Quàm placidis castas complexibus itur in vlnas,
Quàm sanctæ sociant mutua vincla manus?
Et suus hic etiam torus est genialis amoris,
Quæque maritali fœdera nexa face;
Casta Cupidinea sed fœdera nescia tede,
Nec nisi quem cupiat Vesta subire torum,
Sed neque cycneis hic turgēt culcitra plumis,
Partaque Amyclæo vellere fulcra tument.
Quo duo tam casti thalamo sociantur amantes
Lectus olorinas non habet ille niues.

K 2 Le-

Lectulus auspicijs tantorum stratus amorum
 Mens est letitia pace quieta sua.
 Lectule, pax anima; cœlestis lectule tede;
 Pronube sidereis lectule caste toris!
 Tu Sponsi atq; Anima thalamus secretus amantis
 Solus es o' tantas dignus habere faces!
 Hoc ego consuevi, meditans, traducere noctes,
 Cum requiem pulso cura sopore negat.
 Hoc meus ille; meos rapuit qui primus amores,
 Est solitus vigili, secubuisse toro.
 Et mihi tunc imas vrit fax Dia medullas,
 Inque vicem flammis vritur ille meis.
 Tunc desiderijs querimur sine voce loquentes,
 Mutaque plus verbis lacryma vocis habet.
 At noua qua subiti sit, nescio, causa recessus,
 Subuereor, vitio sit data causa meo.
 Nam mihi iam spatium plus visus abesse diurno,
 Et secus atque solet nocte fuisse foris.
 Haccine signa forent mutati forsitan amoris?
 Aut illum melior lectulus alter habet?
 Hei mihi quam miseris ea nox fuit acta querelis,
 Qua sine te, vidua nox fuit acta domo!
 Iam propè constiterat medio vaga Cynthia cœlo,
 Altaque sopierat lumina lassâ quies;
 Cum mihi visa tori pulsa vox dicere spondas;

Sur.

Surge, parat thalamo sponsus abire tuus.
 Suscitor, & piceos oculis detergeo somnos,
 Impositum cubito sustineoque caput:
 Et desolatas implens ululatus aedes
 Sollicita, dormis lux mea? voce rogo.
 Hei mihi! responsum nullum dedit ille roganti,
 Fugerat è thalamis transfuga nempe meis
 Protinus accenso reperi vestigia lychno
 Quæ cuperem numquam visa fuisse mihi.
 Dic meus, exclamo, quò fugit lectule, sponsus?
 Perfide, dic meus heu! lectule, sponsus ubi est;
 Et vagor, & toto velut amens erro cubili,
 Ut tua te vidua luxit Alexi, domo.
 Quos ego tunc animo sensi efferuere tumultus,
 Cygnæus fuerat Pax cui fida torus!
 Quæ mentem subito insana vertere procellæ.
 Insolitam dubijs pandere lina Notis!
 Quàm sterili iacuit damnatum pectus arena,
 Dia cui aethereis vena scatebat aquis!
 Iam grauidos labor est oculos attollere cælo,
 Oraque diuina soluere laude, labor.
 Iam neque sacra valent prisca in certamina vires
 Quæ modò lusus erant prælia, facta dolor.
 Scilicet optata dum felix uterer aura,
 Aurea molliculus Pax mihi lectus erat,

Tunc, vt inexpertis Tiro temerarius armis,
 (Omnia qui lingua prelia victor agit)
 Optabam rabidis caput obiectare Tyrannis,
 Aut animam pulcra fundere posse nece.
 Tunc & Apollonia mihi credita flamma, rosetū,
 Tunc rota Costiade Virginis, esse trochus:
 Visaq; sunt Agathe gemini, duo vulnera, torques,
 Blandaue Blandine, Taure, putatus ovis:
 Denique barbarici laniena infanda macelli,
 Totaque carnificum visa theatra, iocus.
 Nēpe erat in calidis tam feruida flāma medullis
 Aurea cū placidus Pax mihi lectus erat.
 At simul ac sponso calor hic abeunte recessit;
 Frigidior Scythico mens mihi facta gelu est.
 Sic noua, quas Zephyris spirantibus educat aestas,
 Decoquit immeritas vna pruina rosas.
 Lampada sic tenui Pallas quam nutrit oliuo,
 Extinguit tremuli bucca soluta Noti.
 Ah male, te placido quasi sponse cubili;
 Qui Crucis in thalamo repperiendus eras
 Pax mihi lectus erat, Tibi Crux erat aspera lectus.
 Hoc te debueram, querere, sponse toro.
 Lux mea, iam quota Tē querendo perdit a nox est!
 Sed quasi, ubi non inueniendus eras.

GRE-

GREGORIVS.

hom. 19. in Ezechiel,

Dilectum in lectulo quærimus, quando in præsentis vitæ aliquantula requie redemptoris nostri desiderio suspiramus. Per noctem quærimus; quia etsi etiam in illo mens vigilat, tamen adhuc oculus caligat.



Surgam et circuibo ciuitatem: per vicos
 et plateas quæram quem diligit anima mea:
 quæsiui illum et non inueni. Cantic. 7.
 C. Blancus fec.

X I.

Surgam & circuibo ciuitatem ; per vicos &
plateas quæram quem diligit anima
mea: quæsiui illum, & non
inueni. *Cant. 3.*

TAndē, serò licet, meus est mihi cognitus error.
Si bene quæsissem, sponse, repertus eras.
Credideram placido somnos te carpere lecto,
Commodus, at video, non fuit ille torus.
Quid faciam? cœpte pergam dare membra quieti?
Et sine te somnus lumina nostra teget?
Ah, sine te, nequeam solito dare membra sopori.
Aut vlla, sine te, sponse, quiete, frui!
Non si somniferis inuitet lympha sursurris,
Lympha cauernoso precipitata iugo;
Aut nemorum blandis agitata cacumina ventis,
Multaque, quæ syluis garrula cantat auis.
Aut Heliconiadum, Parnassia turba, Dearum,
Aut pater auratæ Delius ipse lyre.
Nec tua discutiant mihi, Somne, papauera curas,
Humida nec virga tempora tacta tua.
Noxia nec vigilem quæ sopijt herba Draconem,
Fi-

Fistula quaeque oculos condidit, Arge tuos.
 Vix ubi composui luctantia lumina somno,
 Rumpitur indomito coepta dolore quies.
 Et nullam accipiunt oculiq; aut pectora noctem.
 Quin mihi, nox etiam creditur vna, decem.
 Fingit & assidue de te, mihi somnia Morpheus,
 Nec fugis ex oculis flebilis umbra meis.
 Cur toties igitur somni mihi nocte petuntur,
 Si mihi nulla venit, nocte, petita quies?
 Eripiar stratis, mediamque vagata per umbem,
 Quo fors aut ratio me volet ire, ferar.
 Et circumspiciens, num forte quis angulus abdat,
 Queram quem propria diligo plus anima.
 Queram porticibus, queram stabulisq; casisque,
 Perque semel tritas ibo, redibo, vias.
 Nec male perspecta fallet specus vlla latebrae,
 Nec quem transiero, circulus vllus erit.
 Qualis odora canis vestigia pressa ferarum
 Mersa nare legens, lustra, rubosque subit:
 Aut qualis siculas Ops errabunda per vrbes,
 Aspicit an flores perdita Nata legat;
 Ruraque piniferis vestigans ania redis
 Persephonem stygijs optat adire vadis.
 Aut potius Solynsis qualis vaga Megdala capis
 (Cum flebat Domini marmor inane sui)

Saxa

LIBER SECVNDVS, 155

Saxa per alta rudesque ruit furiata per agros
 Qua dolor ancipitem qua rapiabat amor.
 Omnibus vna locis aderat, comes omnibus vna,
 Vna super Domini funere multa rogans.
 Attica sic viduo volucris gemit anxia nido,
 Luctu sonisque nemus personat omne modis:
 Et circum, supraque volans, nunc ardua summo
 Vertice, nunc ima pendula fronde sedet;
 Et raptam sobolem, raptoris & aucupis artes
 Heu! consanguineo nunciat orba gregi.
 Haud aliter cunctis lustravi compita vicis,
 Non tamen est vlllo praeda reperta loco.
 Infames vici, loca detestanda plateæ,
 Decepto toties compita trita pede!
 Amissum in thalamis, foris hic reperire putabam,
 Sed male questus, perditus vsque latet.

AMBROSIVS

L. 3. de Virg.

NON in foro, non in plateis Christus re-
 peritur, non est Christus circumfeta-
 neus: Christus enim pax; in foro lites: Christus
 iustitia est; in foro iniquitas. &c. fugiamus ergo
 forum, fugiamus plateas.

Nun



Num. quem diligit anima mea vidistis. Paullu-
lum cum pertransissem eos, inveni quem
diligit anima mea. tenui eum, nec dimittam.

Cartho. 3.

C. Blancus f.

27.

XII.

Num quem diligit anima mea vidistis?
 Paululum cum pertransissem eos, inueni quem
 diligit anima mea; tenui illum & non
 dimittam. *Cant. 3.*

R Estat adhuc tota loc^o ullus omissus in vrbe?
 Aut regio nostro non peragrata pede?
 Flammiferis cuncta facibus luxere platea,
 Nullaque vel minima computa spreta via.
 Hei mihi quos vicos, qua non loca tristis obiui?
 Vrbs etiam in tanta defuit vrbe mihi.
 Sed quid in hos frustra iuuat incubuisse labores,
 Si sponsum semper quero, nec inuenio?
 Ergo domum lacrymans, vestigia retrò ferebam,
 Quique rogaretur, nemo viator erat.
 Cum prior portis à mœnibus aufero gressum,
 Et vigil ad portas occupat ecce cohors:
 Ac prior, hic dixi, quem diligo forte latebit;
 Et subito, vigiles, reppererint ne? rogo.
 Illi, cum tacito conuertere lumina risu,
 Verbaque dentatis reddere salsa iocis.
 Et quidam; quisnam ille tuus quem diligit ignis?
 Absque

Absque suo nosci nomine posse putas?
 Parcite, respondi, tam rusticus, est mihi candor,
 Scire omnes rebar, quis metus esset amor.
 Nec magis vel Pyladis notum, vel nomen Orestis,
 Nève tuum, Thyse, Pirame, nève tuum:
 Vosque etiam, quamuis, quem diligo scire negetis,
 Scire, nec ignotum posse latere, puto.
 Obsecro, dic igitur Custodia pervigil urbis,
 Num meus hac vobis tendere visus amor?
 Ille meus, propria quem plus ego diligo vita,
 Qui quoque me vita plus amat ipse sua.
 Dicite, quando abiit? quantillo tempore mansit?
 Quaque praehensurum se simulavit iter?
 Hac ut aut illac? dextra vel forte sinistra?
 Solus erat? socijs an comitatus erat?
 Excubia falsis iterum risere cachinnis:
 Ai mihi salsa meas obruit unda genas:
 Transieram, sponsi neque spes super ulla videndi.
 Mensque erat in damni mersa dolore sui:
 En subito, dum cuncta animo tristissima voluo,
 Nullaque, quam tanta, vota minora spei;
 Ille meus, tot à toties questus in urbe,
 Iam non questus constitit ante oculos.
 Exilij, mistoque metu perterrita, gaudens
 Vix potui proprijs credere luminibus.

Et,

Et, Tene aspicio, mea lux, mea vita? volentem
 Dicere, vox harena faucibus impedit.
 Qualis ubi viso coniux inopina marito
 (Quem mendax tulerat rumor obisse diem)
 Obstupet, ac visa veluti percellitur umbra,
 Optantemque loqui, pallida facta, fugit.
 Nec nisi iam noto reducis fidentior ore,
 Audet in amplexus coniugis ire sui:
 Tumque veretur adhuc, ne se male credula fallat,
 Inque fidem leuior decipiatur amor:
 Sicego, dum trepido rediere in pectore vires,
 Teque iterum ante oculos, sponse, reuiso meos,
 Subdubitās, speransq; timensq; & amore fatiscens,
 Tunc es quem video, clamo, vel umbra tui?
 Ah sponse! ah non es! non es, quem diligo, non es!
 Imò es, quid dubito? numquid es? haud dubito
 O mea lux, video, te nunc video, mea vita;
 Nil ultra dubito, lux mea, te video.
 Agnoscentque tui vocem presentis & ora,
 Inuolo in amplexus, sponse reperte, tuos.
 Iamq; ego te teneo, neque per vaga compita quarā,
 Ludibrium, vigili nocte futura gregi.
 O mea si geminis mutentur brachia vinculis,
 Atque manus manibus, compedibusque pedes!
 Quam te complicitis, mea lux amplecterer vlnis!
 Arctius

Arctius amplexu, vitis & ulme, tuo.
 Arctius anguipedū manibus, pedibusque hederarū
 Quēis obit annosas herba marita domos.
 Sed neque te nostrī lassent, mea vita, lacerti,
 Sapē nec errantes per tua colla manus:
 Longa Tui subeat; mea lux, absentia mentem,
 Nec nisi pensari tempore posse putes.
 Ah citō tam longi quereris compendia damni!
 Vix ego iam coepi, tu satur, ecce fugis.
 Non ita discedes, non tam citō liber abibis;
 Non nisi pugnando viceris, effugies.

B E D A

In 3. c. Cant.

T Antò instantius inuentum tenui, quanto
tardius, quem querebam, inueni.



L

Mihi



Mihi autem, adhærere Deo bonum est,
ponere in Domino Deo spem meam, Psalms.

C. Blancus fec.

28.

XIII.

Mihi autem adhærere Deo bonum est,
ponere in Domino Deo spem
meam. Psal. 72.

Quam mea, per varios, vita est exercita casus
Ut pila, percussu pulsa, repulsa manus.
Munera belligeri primum placuere Gradiui,
Armaque spe laudis, sanguinolenta tuli.
Arma dabāt animos, & erat spes omnis in armis,
Ceu foret hæc votis meta futura meis.
Sapè vigil tetricas traduxi cantibus horas.
Et custos speculæ tedia longa tuli.
Nec semel admonitu fraus hostica prodita nostro
Cum signum toties, ore, vel ære dedi. (est,
Addidici septis fossam producere castris,
Et sude prefixas impedisse vias.
Quin etiam subita faciem componere pugna,
Et trepidis animos addere, voce, globis.
Denique non tenuit belli quis certius artes,
Militis auxilio seu ducis esset opus.
Ab, quoties Libycas pressit pes lassus arenas,
Et cecidit madidis sudor in ora comis,

L 2 Colla-

Collaque magnanimus tinxit fumantia puluis;
 Nec tamen unda, sitim qua recrearet, erat,
 Ab quoties gelidos fluuiorum in nauimus alueos,
 Aere granante humeros, aere grauante caput,
 Oraque prensatos retinebant mordicus enses,
 Nando per obstantes cum ueheremur aquas.
 Bellantem tenuit iam tot me Mars piter annis,
 Principioque pedes, sine merebar eques:
 Quoque tegor, decima fuit ictus arundine thorax,
 Laesaque sunt totidem cassis & umbo locis.
 Lethifero cecidit sonipes mihi tertius ictu,
 Crista quater, galea cuspide, rapta fuit.
 Quin animam praecipis in aperta pericula misi.
 Dum nimis hostili dextera caede calet.
 Nulla tamen nostro tunc sunt data vulnera tergo,
 Omne sed aduerso pectore uinus erat.
 Nempe gradum tenui, contra ferrumq; facesque,
 Telaque, precipiti grandine plura tuli.
 Perque meo factos gladio spatiabar aceruos,
 Imposito subigens corpora strata pede.
 Quis putet, hoc tantis caput insuperabile bellis,
 Non etiam bellis, vota tulisse suis?
 Heu mihi! post partas proprio tot sanguine lauros,
 Post tot ad infernos funera missa lacus,
 Post toties meritas gladio victore coronas,

Post

Post tot fixa tuo signa, Gradiue, tholo
Vna tot egregios deleuit culpa triumphos,
Nec fuit vlla super nominis vmbra mei:
Et grauis in poenam me diruit ære Tribunus,
Iussit & incincto turpiter ire sago.
Gloria quin odijs populatibus obruta verti,
Sic cecidit tanto Marte petitus honos.
O vtinam potius pro te, Deus arma tulissem!
Non ita cassa suis laudibus arma forent.
Te super, intrepida melius spe, vota locantur,
Vt fundat trepidas anchora fida rates.
Ergo suum Odrysi positum suspendimus ensem,
Atraque sunt curuæ iussa valere tubæ.
Tum lucra, tum vigiles, lucro arrisere tabernæ,
Vnaque Mercurio cura litasse fuit.
Tum piper et lanas Lydo reparauimus auro,
Veximus & grauida grana, merumque trabe,
Nostraque Barbaricos tetigerunt lintea portus
Et sinus inuecta vix sine merce fuit.
Scilicet è minima magnum re cogere questum,
Maximus hac studij parte triumphus erat.
Creuerat aggestis iam densa pecunia nummis,
Nec domus immensas arcta tenebat opes.
Classis, & ambustis onerata redibat ab Indis,
Sed periit, patrijs proxima classis aquis.

Plurimus implebat tabulas mihi debitor ambas;
 Credita periurus debitor esse negat,
 Ergo velut liquidis sal crescit & interit undis,
 Ut creuistis opes, sic perijstis opes.
 O quanto placidos tranquillius exigit annos.
 Qui neque lucra cupit, qui neque bella mouet!
 Diues Athlantiade, tua linquo negotia, dixi,
 Nulla mihi uestra merce redempta quies.
 Quid facerem, toties frustrantibus omnia votis,
 Marte negante decus, Mercurioque fidem?
 Regis in ignotam subrepsi nobilis aulam;
 Magnaque mox Regis fama relata mei est.
 Et vocor, & videor, placidoque arrideor ore:
 Dum loquor, & prona Principis aure fruor.
 Nescio quid fuerit, quod Rex ita cepit amare,
 Non fuit hoc meriti, sed magè sortis opus.
 Seu fuerit virtus, seu sors, seu Regius error,
 Maximus exiguo tempore creuit amor.
 Sape diem nocti coniunximus, inque loquendo,
 Non fuerat visus præcipitasse dies.
 Sape domi tacitas lusu traduximus horas,
 Vnaque saepe foris mensa duobus erat.
 Non ita Seianum Latie fauor extulit Aula;
 Clitus Alexandro non ita carus erat.
 Commodus haud tantum potuit tribuisse Cleandro,
 Aut

Aut Constantini plus amor Ablauio.
 Iamque sua fateor, fauor hic, nouitate placebat,
 (Vt prope non solita res nouitate placent)
 Aulaque felicem, felicem turba vocabat,
 Quod mihi tanta Ducis gratia parta foret.
 Vah! nimis infidis subnix a potentia sceptris.
 Que minimo sortis turbine versaruit!
 Ecce, minax tetricos cœpit Rex ducere vultus,
 Nec tamen est vitio gratia lasa meo.
 Hei mihi! cœptus amor, subitam se vertit in iram,
 Hostis & è patrio cogor abire solo.
 Et vereres auxi casu, noua fabula, fastos;
 Fabula sic elegis triste canenda meis,
 Arcadij Eutropius, Stilico redinius Honori,
 Et Constantini Cæsaris Ablauius,
 Clitus Alexandri, Tiberij Seianus imago,
 Heu nimis historia vera fuere mea.
 O Deus ò quanto tranquillius exigit eum,
 Qui locat in sceptris vota que spesque iuis!



*Sub umbra illius quem desideraueram.
sedi. Cantic. 2.*

C. Blancous f.

29.

XIV.

Sub vmbra illius, quem desideraueram,
fedi. *Cant. 2.*

Fors iter ignotas longum meditabar in oras,
Et bona iam coepta pars erat acta via.
Vique solet lassus metam spectare viator,
Credebam spatijs pauca deesse meis.
Vi coepi reliquos metiri prouida passus,
Maius erat medio, quod superabat, iter.
Hei mihi! tum refugia ceciderunt corpore vires,
Totque nimis durus, millia visa labor.
Ergo oculos caelo misera cum voce tetendi,
Ferret an hinc aliquis, voce vocatus opem?
Et mihi, quis dixi, dabit hisce sub aestibus vmbra?
Solis ab infesto verberor igne caput.
Aspice, sub plantis quam ferueat arida tellus,
Siccaque sensustos vrat arena pedes.
O nemora! o rigua, frondosa cacumina, sylua!
O latebra! o fontes! arboreaeque domus!
O utinam, virides pandat mihi populus alas,
Aut caput hoc mali fronde comante tegar!
Audiit ille meas solitus lenire querelas,
Cuius

Cuius erat toties umbra petita mihi.
 Et scio, quo properas. scio, quas, ait, arripis oras,
 Et scio, quam toties anxia poscis opem:
 Cœlestis Solyma longinquam tendis in urbem,
 Quamque agis in terris, huc tibi, vita via est,
 Iamque grauat longi te tanta molestia cursus
 Et cuperes Mali fronde virente tegi.
 Ecce tuis venio sperata laboribus umbra,
 Quamque voues, placido tegmine Malus ero.
 Aspicias herentes funesta ex arbore palmas,
 Quosque fodit geminos cuspis acuta pedes?
 Aspicias innumero laniatum vulnere corpus?
 Aspicias? heu vix est corporis umbra mei,
 Hæc tibi quesitam fesse dabit umbra quietem,
 Portus, & in duris, hæc tibi malus, erit.
 Dixerat, et vires subito rediere iacenti,
 Tanta loquente Deo, visque vigorque fuit.
 Tunc ego suspiciens, in sponsum lumina fixi:
 Hei mihi suspensus de Cruce sponsum erat
 Et qualis, sponse, inquã hæc est, quã tristis imago?
 Hæcine erit capiti Malus aprica meo?
 Hac ego sanguinea languens residebo sub umbra?
 Tu, crucis infami stipite fixus eris?
 O mala Malus! & infelix, quæ te manus umquã
 Fixit humo! manus hæc, cæde oruennta fuit.
Attamen

Attamen hec letos malus iacit ardua ramos,
 Utque cubem, placidos umbra dat apta toros:
 Umbra dat apta toros, sed non tamen apta sopori:
 Ah! magis haec lacrymas, Malus et umbra petunt.
 O bona Malus! & o felix, quae te manus umquam
 Fixit humo! hanc sidus iam decet esse manum
 Ah video, cui te similem, mi sponse, vocabo,
 Sape mihi Umbrifera munere functe domus.
 Qualis onusta rubris late sua brachia pomis;
 Spargit, & apta siti munera Malus habet;
 Exsuperatque suas, numerosa fruge sorores,
 Vna nemus lassis, hospitibusque penus:
 Talis es aestiuis mihi, sponse, caloribus umbra;
 Lymphaque dum sitio, dum fameoque, cibus.
 O quoties ego te! quoties, mi sponse, vocavi,
 Ut semel illa meum conderet umbra caput
 Hic ego, si liceat, dixi, gemebunda sedebo;
 Ut sedet amisso mœsta columba viro.
 Et modò purpurei concreto sanguine crines,
 Et modò materies, labra, doloris erunt.
 Nunc oculi ante oculos, nunc, frons, nunc pedula cervix,
 Nunc os nunc atro barba cruore madens
 O quoties latus hoc, lacrymansq; gemensq; videbo
 Ne videam, lacrymis, impediaturque meis
 Multa tamē dabit hoc unū mihi vulnera, vulnus,
 Saucia

*Sanciam dum geminos labar ad vsque pedes .
Tuncq; iterũ amplexu lignũ lacrymabile strigēs,
Subscribam hæc plantis verba suprema tuis :
En duo qui, causam præbent sibi mortis, Amantes;
Mergitur hæc lacrymis , ignibus ille perit .*



HONOR:

H O N O R.

Apud Delr. in

C. 7. Cant.

VMbra fit ex corpore & luce, & est itinē-
rantium refrigerium ab æstu, & prote-
ctio à tempestate, Arbor vitæ, scilicet *malus*
est *sancta Crux*: fructus eius *Christus*, *umbra*
tutela vel refrigerium humani generis.

Quo-



Quomodo cantabimus canticum Domini in
terra aliena. Psal. 136.

C. Blancus f.

30

Q
Let
T
Qu
T
Ner
A
Qu
V
Dic
S
Qu
N
Et c
A
No
Q

XV.

Quomodo cantabimus canticum
Domini in terra aliena?

Psalm. 136.

Quid toties cantus iterare iubetis amici,
Seu lubeat digitis, seu iuuet ore loqui?
Letitiam cantus poscunt, animiq; quietem,
Turbida cum mens est, os digitique dolent.
Quin magè cātādū cum mens iacet agra, monetis,
Tuncque opus esse lyra, tuncq; opus esse chely,
Nempe suo nimium ne mersa dolore labor et,
Aut intenta suis, sit nimis ipsa malis.
Quid quod opem certa promittitis vsque medela,
Vestra nec exemplo dicta probante carent:
Dicitis hanc causam cur lassus nauita canet,
Sollicitat celeri cum freta lenta manu.
Quique gregē virides pascendum ducit in agros,
Non, nisi ne nimium sit mora longa, canit.
Et canit vt fallat fastidia longa viator,
Miles & vt cantet, noxque laborque facit.
Nō ego, quod faciunt miles, nauita, atq; viator
Quodq; facit pastor, damno rebellis opus.

Adde

Adde quod et Domine iam dudū assueta querelis,
 Ad solitos gemitus plus mea lingua valet;
 Vix que retentanti iam carmina prisca subibant,
 Musica quin etiam res mihi visa noua est.
 Vtique timet longo veniens è carcere Solem;
 Sic mea letitiam lingua modosque timet.
 Ad numeros quoties fuit impetus ire relictos,
 Aut solitam digitis sollicitare chelym;
 Aut docto querulas impellere pectine chordas,
 Aut mollem articulis increpuisse lyram;
 Aut leue ceratis modulari carnem auenis,
 Aut voci liquidas associare fides,
 Heu! toties lacrymae sunt, me tentante, profusae,
 Et lacrymis, digiti, voxque retenta fuit.
 Mox luctata iterum cantu deducere vocem,
 Et querula digitos attenuasse lyra,
 Nequicquam aduersis sensi me rendere musis,
 Vlla nec est nostra barbitos icta manu.
 Interea longa iam desuetudine pigra,
 Artem deditigit voxque manusque, suam.
 Nec si nunc studium grauitatis inane retentem,
 Mollescant studio tristia fata meo.
 Esto, sciam lenibus tamen addere carmina nervis,
 Aptaque mutandis sit mihi lingua sonis;
 Et vincam Aonias digitis, aut gutture Diaas,
 Et

Et mea sit melior, Marsia, Canna tua;
 Panaque multiforem cogam submittere buxum,
 Et superem Threassa stamina docta lyra:
 Quæstibus, an canu videor debere teneri,
 Maxima cui flendi copia semper adest?
 Ah! bene, ne cantem, mihi p mala plurima cautum est
 Vertit & in morem, iam mihi pene dolor.
 Nec locus, ut cantem paritur, neq; tēpora profunt;
 Vique locus sinat, aut tempora, mæror obest.
 Quid? Vultis patria procul à tellure iacentem,
 Externo patrios orbe sonare modos?
 Parcite, fortuna nimis exulis ista repugnane:
 Non est conueniens cantibus ille locus.
 Exul & à patrio tam longè dissita Cælo,
 Impellam patria dulcia fila lyra?
 Parcite tam miserum fortuna vulnus habenti;
 Cantandi externo nulla libido solo est.
 Tristia flebilibus manant mihi lumina riuis,
 Et videor festam posse ferire chelym?
 Semper in obtutu vigilat mens fixa malorum;
 Et cythara videor posse, vel ore loqui?
 Heu! nimis insistant presenti pectora fato,
 Et numquam exiliy sensus acerbus abest.
 Si quisquam his iubeat Amphiona viuere terris,
 Aonio numquam pectine tangat ebur.
 Respectu Euridicen ppero cum perdidit Orpheus,

Ilicet artifices obriguere manus;
 Et manibus cecidit leue cum testudine plectrum,
 Fractaque sunt casu garrula fila suo.
 Quid mihi, non vna fatorum clade sepultæ
 Precipitis, toties vngue ciere fides?
 Dum circumspiciens, ubi sim, te Patria specto;
 Heu cadit aspectu mens labefacta, tuo!
 Cum semel, ò sperata diu, tibi Patria reddar,
 Tunc ego voce canam, tunc ego mente canam.

AUGUSTINVS

Medit. Cap. 35.

Vtinam possem talia dicere, qualia
 hymnidici Angelorum Chori! ò quam
 libenter me in tuis laudibus totum effunderem!

LIBER

LIBER TERTIVS
SVSPIRIA
ANIMÆ
AMANTIS.



*Adiuvo vos, filiæ Hierusalem si inueneritis
 dilectum meum ut nuncietis ei, quia amore
 languedo. Cantic. 3.*

Blayou Soc.

I.

Adiuro vos, filiaë Hierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nunciatis ei: quia amore languo. *Cant. 5.*

CO Elestes anima, Solyma cœlestis alumna,
 Qua teritis niueo cerula iempla pede;
 Vos ego, vos numquam violando carmine testor.
 (Si meus est vobis fortè repertus arzor)
 Dicite, quòd cœca, sic eius languo flamma,
 Languet vt Assyrio flosculus vstus agro.
 Nempe suas nuper cum spargeret ille sagittas,
 Delituit proprijs mistus arundinibus:
 Et summa trifidi prafixus cuspidè teli,
 Cor mihi, ceu Parthi, canna redunca fidit.
 Ah quibus, ah quantis tum pectus amoribus arsit
 Non fuit Aetnao senior igne rogas.
 Nunc igitur cupidus de me si plura rogabit,
 (Namque solent cupidi multa rogare proci)
 Dicite, languentis qua sit mea visa figura;
 Pluraque, languentem non potuisse loqui,
 Si roget; an lento mihi febris inestuet igne?
 Dicite, quod nullo febris ab igne coquar.

M s Si

Si roget, an mortis propior sim visa periclo?
 Dicite quæ vobis, ore tacente, loquor.
 Dicite, nulla meis vos reddere nuncia verbis,
 Sed fati tantum reddere verba mei.
 Si lubeat nostros tamen illi noscere vultus,
 Nec graue sit vobis dicere, qualis eram:
 Hac precor, aut simili, tum me depingite forma,
 Qua sciat & morbi quæ sit origo mei.
 Dicite, quod iaceam tenebris ex sanguis obortis,
 Succiduo in nudum corpore lapsa solum.
 Sintque hebetes oculi, media ceu morte natantes,
 Inque sinu iaceat languida facta manus:
 Nec rosa picta genis, neque viua corallia labris,
 Venaque vix, quamquis pollice tacta, micet:
 Iamque diu nullo constet me viuere signo,
 Quam quod anhelanti pectore sæpe gemam.
 Quodque mihi certam non possim fingere causam,
 Cur toties nullo laesa dolore querar:
 Non possim, nisi fors gemitu se prodere cogat
 Qui gemitum toties pectore rupit Amor.
 Hæc reor, hæc nostri fuit vnica causa doloris,
 Et quid Amans esset nescij, amansque fui.
 Hoc fuit, hoc toties me suspirare coegit,
 Per gremium iniussa cum flueretis aquæ.
 Hoc fuit, ut, quamuis toties aliena loquentis
 Illius

Illius assidue nomen in ore foret.
Ergo meis, oro, Dilecto hac dicite verbis;
Illius immodica quod cremor agra face:
Dicite, quod lento sic torreo illius igne,
Vt rosa coelesti torrida facta cane,
Dicite quod longa sic eius languet flamma,
Vt languent sicca lilia cana coma.
Dicite quodq; mei causa vnica sit languoris,
(Qui simul est mortis causa futurus) Amor.

RVPERTVS.

In Cant.

A *Nunciate, quia amore languet. præ ma-*
gno faciei eius videndæ desiderio; vitæ
tadium patior, & vix præsentis exilij moras su-
stineo.



Fulcite me floribus. Stipate me malis. quia
amore languedo. Cantic. 2.

C. Blancus fec.

32.

I I.

Fulcite me floribus, stipate me malis; quia
amore languo. *Cant. 2.*

O Amor! ò quantis torres mihi viscera flam-
 O Amor! ò animi blāde Tyrāne mei! (mis!
 O amor! ab tantos qui pectore comprimat ignes!
 Parce vel in vapidos dissoluor cineres.
 Parce amor, ò toties repetitis parce sagittis!
 In noua, pars animi, vulnera, nulla vacat.
 Parce Amor, & nocua procul abijce tela pharetra,
 Proxima, quam iacies, figet arundo necem.
 Ah perij! neque nota mihi suspiria duco,
 Qua sonat, ignoto vox ab amore sonat.
 Scilicet arcanos penitus grassatus in artus,
 Iam mea, victor quans, regna subegit Amor.
 Me miseram! tantos nemo miserabitur ignes;
 Nemo vel è terris, nemo vel è superis?
 Tuque meus (tanti caussa vnica qui tormenti es)
 Tu meus, hæc sicco lumine cernis Amor?
 Vos saltem Aetherij Cælo properate coloni,
 Vos, quibus à simili mens calet iota face:
 Ferte rosas date mala, & odora Chloridis herbas,
 Quicquid

Quicquid et Alcinous, Floraq; quicquid habet.
 Ferte rosas, date mala ardentibus obuia flammis,
 Mitior in malis est amor, inque rosas.
 Ferte rosas manibus calathis effundite mala,
 Fors erit hinc nostris certa medela malis.
 Sed quid ago? quid posco rosas? quid postulo mala?
 Est dolus in malis, est dolus inque rosas:
 Forsan Amor falsi tegitur velamine mali,
 Aut sua spiniferis occulit arma rosas.
 Periuro simplex malo delusa Cydippe est,
 Et Venus armata & cuspide, lesa rose.
 Nolo tuas Cytherea rosas, tua mala, Cydippe,
 Nescia perfidia, mala rosasq; volo.
 Quales Dorothea superis tulit ales ab hortis,
 Canaque quas stupuit bruma rubere rosas.
 Quale Tibi Elysiis venit Luduina vireto
 Angelico carptum pollice liliolum.
 Has mihi posco rosas, haec mala, haec lilia posco,
 Nescia perfidiae lilia, mala, rosas.
 His mihi vernantem viridi super aggere lectum,
 Pictaque puniceis sternite fulcra crocis.
 Fiscinaque è lento fiat puluinus hibisco,
 Fiscina quam viridi farciat herba toro,
 Iungite vimineis collecta ligustra quasillis,
 Et pluat in laxos lutea Caltha sinus:

Iun-

Iunceaque egregijs operate canistra Hyacinthis ;
 Misceat & calyces Bellis amœna suos :
 Spicaque Narcissusque & apex stellatus Amelli ;
 Pulcraque cœruleis cum Cyanis Anemon .
 Et Nymphaea marina, immortalesque Amaranthi,
 Iridis & Viola multicoloris opes .
 Iunctaque Smilacibus Peonia regia paruis ,
 Cunctaque quæ Pæsto diuine ferta virent .
 Addite decerptas Arabo de Cortice frondes ,
 Et Myrthū & Daphnen Cecropiūq; Thymū,
 Serpillumq; Chamæmelumq; Aloenq; Ciperumq;
 Et Nardū et Tymbrā, Cynnamaq; et Cassiam .
 Et Costum & Staeten & olentis germen Amomi,
 Et Cilicum tota sternite messe solum .
 Sternite , et hoc animæ quidquid super exspirandū
 Roscidulis, sinite, elangueat in folijs . (est,
 Tunc ego sic moriens componam leniter artus ;
 Ut Rosa deciduas ungue resecta comas .
 Aut moritura graues inclinant Lilia culmos
 Queque halant animas gramina messa suas .

In c. 2. Cant.

Bonus certè languor, cum infirmitas hæc non sit ad mortem, sed ad vitam; ut glorificetur Deus per eam. Cùm ardor, febrisue ista non sit ab igne consumente, sed ab igne potius perficiente.



Dilectus

hæc
glo-
risue
igne

s





Dilectus meus mihi et ego illi qui
 pascitur inter lilia, donec aspiret dies
 et inclinentur umbræ. Cant. 2.

C. Blancus f.

33.

III.

Dilectus meus mihi & ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies & inclinentur vmbrae. *Cant. 2.*

F Elices anima, populus genialis Amantum,
 Quas amor irrupta nequit virumque fide!
 Non ego praestra vestra, fortunam optauero Regum;
 Nam puto Caelicolum vos ego sorte frui.
 Sed neque iam Siculi mirer noua vota Tyranni,
 Optantis, Pythia tertius esse comes.
 Equis enim socijs medius neget esse duobus,
 Quos sibi tam sancto foedere iunxit Amor?
 Aurea conditio, quoties redamantur amantes,
 Reddit & alternas mutua flamma vices!
 Hac ego me toties optavi lege beatam,
 Ad sua cum trepidam signa vocaret Amor.
 O quoties dixi, si quando cogar amare,
 Non nisi qui pariter me redamarit, amem!
 Audyt optantem volucrum Deus ales Amorum,
 Et quid, ait, dubitas? ut redameris, ama.
 Vicino extimui praesentis Numine Diui,
 Attonuitque meum vox inopina caput.
 Ecquid

Ecquid in expertam puer, inquam, per fide castris,
 Auspicijsque iubes ara merere tuis?
 Sape quidem iuveni mihi narrauere sodales
 Gaudia quanta suis polliceatur Amor.
 Sapius at contra monuit me sedula nutrix,
 Cum ferrer gerula sarcina parua sinu.
 Vera nimis reputa Peligni oracula vatis,
 Que cecinit castis ingeminanda choris: (bla,
 „ Quot lepores in Atho, quot apes pascuntur in Hy-
 „ Cerula quot baccas Palladis arbor habet;
 „ Littore quot concha, tot sunt in amore dolores,
 „ Res est solliciti plena timoris Amor.
 Semper enim miseros timor ille flagellat amantes,
 Ne fors non redamet, quem tamen alter amat.
 Fida vel alterius si sint rata foedera vinculis,
 Tum grauis, vt constant foedera, cura subit.
 Curro per historias; quotus, heu! securus amauit?
 Hunc breuis, hunc fictus ludificauit Amor.
 Qua Paris Oenone sine viuere posse negabat,
 Oenonen potuit deseruisse Paris.
 Dilecti Hypsiphile non mansit Iasonis vxor,
 Non mansit reducis, sicut euntis erat.
 Thesea crudelem quoties Ariadna vocauit,
 Nauigio numerum quaest a deesse suum?
 Quin etiam lenibus monstras, Puer improbe pennis,
 Quam

Quàm citò succedat, quàm citò cedat amor.
 Ite igitur, leuibusq; animas modò credite flammis,
 Cum sua non aliter sceptrâ Cupido gerat.
 Et leuis est multoque suis ventosior alis,
 Gaudiaque ambigua datque negatque fide.
 Tum pudor audaces tinxit tibi, per fide, malas;
 Teque leuem celeri fassus es esse fuga.
 Tuncq; ego, Cyprigene detecta fraude, triūphans,
 Instabilem iussi læta valere Deum.
 Et tibi, Deus Amor (dixi) tibi fœdere iungar,
 Et tuus ignis ego; tu meus ignis eris.
 Donec ab aereis labentur montibus umbra,
 Et reducem fugient umbraque, noxque diem.
 O liquida ambrosia! ò Diuini nectaris haustus!
 O amor! ò quanti pocula mellis habes!
 Quid totis Te, Deus amor, sit amare medullis,
 Expertus nisi sit, dicere nemo potest:
 Quid verò sit amare, iterumque abs te redamari,
 Sit licet expertus, dicere nemo potest;
 Omnibus hisque etiam supereminet illa voluptas,
 Fidus hic æternum quod sibi constet amor.
 O Amor! ò mea dulcedo! mea vita, meum mel!
 Aut melli geminum si quid Hymettus habet!
 O amor! ò quoties, ò qua mihi gaudia misces,
 Dñ, quod amans redamer, dñ, quod amere subit!
 N Dumque

N

Dumque

*Dumque iterum aternos recolo fore fœdere nexus
O amor! ò quantis gestio lætitijs!
Non habet hic miseros Amor, vt leuis ille timores:
Affluit hic lætis, ingemit ille malis.
Pascitur in riguis, vbi candent, lilia, campis,
Et sua virgineos ducit in arua greges.
Scilicet æthereum decet hic flos purus Amorem,
Et bene tam castas pascit hic hortus oves.*



BERNARDVS

Ser. 71. in Cant.

T ergo qui hæc audis vel legis, cura habere lilia penes te, si vis habere hunc habitatorem liliorum habitantem in te,

N 2

Ego



Ego dilecto meo et ad me conuersio eius.
Cantic. 7.

C. Blancs fec.

34.)

I V.

Ego dilecto meo, & ad me conuersio
eius. Cant. 7.

Moesta cupressiferi nemoris spatiabar in um-
Tristitiã lacrymis compositura meis: (bra,
Iamq; sinum tepidis submerserat imbribus unda,
Concideramque meis panẽ subacta malis.
Fors Chelys ex humeris pendebat eburnea nostris,
Mœstitia quondam certa medela chelys.
Obruta tristitia; frondente sub arbore sedi,
Associans querulis talia verba modis:
Ergo mei vidui, sine lusibus, ibitis anni?
Nullus et in nostro carmine viuet amor?
Ah! precor, eueniant hæc hostibus omina nostris
Et procul his, cœli tam bona flamma cadat.
Viuerẽ se iuret, non hunc ego viuerẽ credam
Qui trahit hoc vasuos frigidus igne dies.
Vnicus est homini, viuendi fructus, amare;
Solutus, amans, vixi; dicere iure potest.
Qualis, in ima, suo desidit pondere tellus,
Et subit aerias, ardua flamma, vias;
Nos ita fax animi, violento cogit amore,

N 3 Abria

Abripimurque omnes impete quisque suo.
 Me quoque nativa stimulari sentio flamma,
 Visque adhibet tacitas, nescio quanta faces
 Quo meus ergo suos Amor eiaculabitur ignes?
 (Primitia nostri namque caloris erunt)
 An ferar humana furiosa Cupidine teda,
 Cognata Angelicis, stirpsque sororque choris?
 Aut mea mortales venient in colla lacerti,
 Qua sum immortalis sponsa creata Deo?
 Ah, super hasce hiemes nostri rapiuntur amores.
 Terra parem thalamis non habet ista meis.
 Nympha puellarum pulcherrima Romulearum
 Agnes, Ausonio sponsa petita proco:
 Absit, ait, inuenis mea ne tibi fœdera speres,
 Iam mea cœlestis fœdera sponsus habet.
 Sic nostra ætherios ambit quoque fax Hymenæos,
 Indè petendus erit qui mihi sponsus erit.
 Hunc ego, nō alium, solum hunc ego diligo sponsū,
 Nemo potest vno tempore amare duos:
 Illius ante oculos mihi semper oberrat imago,
 Ante oculos, quamuis longius absit, adest.
 Et loquor absenti morientis omnibus, absens,
 Absentisque sonos illius aure bibo.
 Sic ubi magnetis vim ferrea linea sensit,
 Semper ad agnati vertitur alta poli.

Et

Et sua Sydonijs patet hinc Cynosura carinis,
 Seruat et hinc Helicen cymba pelasga suam,

Sic lasi sequeris studiosa pedissequa Phæbi

Dilectum Clytie flos modò facta, facem:

Bisque die quouis, verso in bar ore salutans,

Manè precaris Aue; serò precare Vale.

Obuia fraternos ita spectas Cynthia vultus

Et reparat vultus ignibus ille tuos.

Sponse, ego sum Clytie, tu sol: ego Cynthia, Phæ-

Qualibet obuerso persequor ore meum. (buna

Es mihi, sponse, Helyce, Cynosuraq; duplicis

Quo trahis, huc oculis ad tua signa volo. (Arcti,

Quid mirum, alterno si respondemus amori?

Magnetem sequitur linea tacta suum.

BERNARDVS

Meditat. cap. 9.

COr meum per multa dispergitur & huc
 illucque quarit, vbi quiescere possit, &
 nihil inuenit quod ei sufficiat, donec ad ipsum
 redeat.



Anima mea liquefacta est, ut
dilectus locutus est. Cantic. 5.

G. Blumius f.

35.

V.

Anima mea liquefacta est, vt dilectus
locutus est. Cant. 5.

TE semel vt cursim tātum, mea vita, viderem,
Quot iuga, quot sylua, quot loca visa mihi:
Vt semel audirem tantum, mea vita, loquentem,
Ab quot inaccessis rura petita vijs
Aerij montes, metuendaque culmina rupes
Saxaque Solinagis vix adeunda feris.
Nec tamen, ecce tui data spes fuit vlla videndi,
Vixque vel alloquij spes fuit vlla tui.
O quoties dixi: que te, mea vita, latebra,
Qua caua, que terra, qua nigra lustra tegunt?
Sed neque lustra meum, neque rus solata dolorem,
Respondit lacrymis sylua nec vlla meis.
Fors semel ignotos, me duxerat error in agros,
Solus vbi ante oculos campus, & error erant.
Metior hic oculis Caelos, clamoribus agros;
Sed neque vox Caelis, nec data vox ab agris.
Inde deerranti vallis se monstrat opaca;
Vociferor, nullus fit mihi valle sonus.
Ecce caua densum, procul haud à valle, viretum
Adia-

Adiacet; aestivo textilis umbra gregi:
 Hic erit, hic fors an, dixi, mea vita latebit;
 Heu dolor! ut vidi, nulla latebra fuit.
 Ergo amens tandē lacrymansque ad littora curro,
 Littora, qua refluxis Nereae tundis aquis.
 Hic Pharos ingenti se tollit in ardua cliuo,
 Unde suum ratibus nauita captat iter.
 Scando Pharon, totoque oculos circumfero ponto,
 Et quanta possum littora voce voco.
 Littora, littora, vos cautes, vosque aequoris undae,
 An latet aequoreis lux mea mersa vadis?
 Vix prior attigerat resonantia littora clamor,
 Cum citò littoribus vox geminata redit.
 Ambigo, num scopulis fallax responderit Echo,
 Et nimium prona iusserit aure fidem:
 Tristibus ergo iterum caua littora pulso querelis,
 Littoribusque iterum vox repetita redit.
 Vox redit, et vox, nota redit Tua vox mea vita,
 Et mihi voce Tua, reddita vita fuit,
 Ibam semanimis, subito ad tua verba reuixi,
 Ne penitus morerer, vox satis una fuit.
 Scilicet ora loquens, quoties caelestia soluis,
 Magnum aliquid verbis fulminis instar inest.
 Igniuome non quale nucis, testudine clausum
 Efflabas Syria fraudibus, Eune, Dea;
Quale

LIBER TERTIVS.

205

*Quale sed in comites Emmautia rura petentes
 Sparsisti stygijs Dux rediuvine plagis;
 Frigida cum subitis arserunt pectora stammis
 Pectora colloquio, lux mea, tacta tuo.
 Hinc mihi succensis caluit quoq; flāma medullis,
 Itaque cœlesti vocis ab igne fui.
 Et licet Oceano, gelidis licet undique saxis,
 Undique ceruleis obsita cingar aquis;
 Intus agunt flamma, sic liquor ab ignibus intus,
 Liquitur vt lento pinea teda foco.
 O vtinam, mea vita, animam liquamur in vnā
 Vnaque vita duos iungat Amorque duos!*

AVGVSTINVS.

Soliloq. Cap. 31.

Quid est hoc quod sentio? quis est ignis
 qui calefacit cor meum? quæ est lux quæ
 irradiat cor meum? ò ignis qui semper ardes,
 & nunquam extingueris, accende me.

Quid



*Infelix ego homo! Quis me liberabit
de corpore mortis huius? Ad Rom. 7.*

C. Blancus f.

38

V I.

Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui
super terram? Psal. 72.

Quid cœlo, mea lux, terra ve mari ve requirã?
Nec cœlum, sine te, terra nec vnda placet.
Non equidem ignoro, qua, quantaq, gaudia Cœlũ,
Terraque quas fundat, vndaque condat opes.
Sed sine te, mea lux, mala sunt, quacumq; vel æther
Veltellus gremio, vel tegit vnda salo,
O Cœlum! ò tellus! ò carula marmora ponti!
O tria delicijs regna superba suis!
Delicias cumulus vestras licet aggerat unus,
Non sint delicia, si meus absit amor.
Sapè tulit, fateor, vaga per divortia mentem
Hinc Thetis, hinc tellus, arduus indè Polus.
Sed totum iniectis, mundum someriar vlnis,
Non tamen hæc vlnis par erit vlna meis.
Mens aliquãdo fuit grandiam recludere terram,
A Eraque diuitibus vellere fulua cauis;
Aurumq; argentumq; nitentis germina vene,
Quaque metallifero nutrit arena sinu.
Ferro igitur magna Matris suffodimus alium
Tota-

Totaque Telluris gaza coacta fuit:
 Quid iuuat? aggestas licet aurum fregerit arcas
 Non tamen est animo nausea pulsa meo.
 Ergo sub equoreos rapuit me cura penates,
 Qua subit Eoas Indus adustus aquas.
 Quidquid et aurifluis gemmarum nascitur undis
 Carpere sub liquido gurgite feruor erat.
 Et pressum roseis conchylibus edere rorem,
 Rideret patulis purpura si qua labris.
 Et sparsas rutilis baccas conquirere ripis,
 Diues Hydaspæi qua nitet unda vadi.
 Hei mihi! tam vario lectis ex equore gemmis,
 Littoribus totidem fluminis atque maris,
 Tot cyanos tot chrysolitos tot iaspidas inter,
 Nulla mea potuit gemma sat esse siti.
 Quid facerem, votis, terraque, marique negatis?
 Sidereos, dixi, vota subite larès.
 Visa igitur superi circum vaga machina mundi,
 Templaque luciferis fulgida lampadibus,
 Obstupui stabili currentes ordine flammæ,
 Astraque perpetuos ducere nexa choros:
 Inter at indigenas tot Olympi pensilis ignes,
 Flamma capax anima non fuit vlla mea.
 Nempe ita cum totum requieuit in Hercule, Cælis
 Non illi requies sidera, pondus erant.

Ab

Ah! piget è terris Cœli conuexa tueri.
 Iam super alta feror nubila, terra vale,
 Iam cuncta ex oculis, turreſq; , vrbeſq; recedunt.
 Iam coit in minimam pendula terra pilam:
 Iam luna, ſoliſque, Iouiſque ſuperuehor orbem,
 Et ſeptena premens ſidera, calco pede:
 Iamque pauimentum ſtellarum illuſtre pyropis,
 Sub pede deſpicitur, quod modò culmen erat:
 Altaque iam cingunt flammantis mœnia mundi,
 Et propior cœli regia tota patet,
 Quin properant volucres pennata examina ciues,
 Et ſociant varijs verba fideſque modis.
 Saltanteſque obeunt pedibus plaudentibus orbem,
 Lætaque ceu feſto perſonat Aula die.
 O cœlum! o cœlum! o fulgentia lumina ſtelle!
 O, niſi ſidereis, atria digna choris!
 O volucres anime, rutili reſpublica Regni.
 O chelys Angelicis aſſocianda modis!
 O ubi ſū? prope facta ſui immemor, exciderat mēſ
 Sed redit vt ſponſum ſenſit abeſſe ſuum.
 Aſtra valete, valete Poli, volucresque valete;
 Nil mihi vobiſcum eſt, ſi meus abſit amor.
 Iam video mihi quid terraque, poloque petendum,
 Si meus abſit amor, Terra Poluſque vale,
 Magnanimas iuuenis lacrymas Pellæ dediſti,
 Nulla

Nullatibi domito terra quod orbe foret?
 Quid mihi, millenos si fregero viribus orbes?
 Nec satis est votis gloria tanta meis.
 Ah, minus est an. mo, quidquid sola distat terrarū
 Astriferaq; obeunt mœnia vasta plaga!
 Quod neq; terra capit, neq; regna liquentia ponti,
 Non hominumq; lares, non auiumque domus.
 Quod neq; sideri claudunt amplexibus orbes,
 Id voto spes est, resque petita meo.
 Hactenus, heu fateor, vacuas dū prēdimus auras,
 Semper ab amplexu mens male lusa suo est!
 Tu mihi Terra, De^o; mihi tu Mare, tu mihi Cœlū,
 Deniq; cuncta mihi es: Te sine, cuncta nihil.



AUGUSTINVS

Soliloq. Cap. 20.

Quidquid Cœli ambitu continetur inferiùs
ab anima humana est, quæ facta est vt
summum bonum superiùs possideret, cuius pos-
sessione beata fieret.



Heu



Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus
 est habitari cum habitantibus Cedar, multum
 incola fuit anima mea; P sal. iij.

C. Blancus f. 37

VII.

Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est!
 habitavi cum habitantibus Cedar,
 multum incola fuit Anima mea.

Psal. 119.

AN peragit solitis Phœbi rota cursibus annus,
 Sydereumque suo tempore finit iter?
 Credideram fractis currum consistere loris,
 Tempora tam lentis ire videntur equis.
 Hei mihi, decretos iam dudum explevimus annos.
 Nec tamen è vita cedere, Parca iubet.
 Cur mea tam longo ducuntur stamina filo?
 Debueras, Lachesis, deproperasse colum.
 Ecquid in his adeò delectet vivere terris?
 Quidne quod inuitet, tristis hic orbis habet?
 Qualibet, ah! simili mihi mors minus aspera vita
 Si genus hoc mortis vita vocanda fuit, (est.
 Nempe gradu stabili nihil hic immobile constat,
 Cuncta sed assidua mobilitate fluunt.
 Manè dies oritur Phœbeo splendidus auro.
 Squallidus emoritur nocte premente dies,
 Nox subit Astrorum nullis comitata choreis.

O 2 Nox

Nox iterum Caelo sole fugante fugit.
 Nunc Zephyro gremium tellus spirante recludit,
 Nunc claudit gelidos, flante Aquilone, sinus.
 Nunc canet niuibus; nunc spargitur alba pruinis,
 Nunc tepidi folijs veris amicta viret:
 Mollia iam liquidas pādūt freta nauibus undas.
 Iam tenet inclusas unda gelata rates.
 Nunc agitant tumido venti fera praelia Ponto.
 Nunc stagnat placidis carula Tethys aquis.
 Humidus effusis nunc liquitur imbribus ether,
 Nunc aqua nitidus stat sine nube Polus. (rus)
 Nunc fragor Horrisono Caelū quatit omne tumultu.
 Nunc silet, et superas pax tenet alta plagas.
 Denique (qua reliquos superant incōmoda casus)
 Mœsta ferè in medijs vita trahenda feris.
 Quæq; domos hominum, magè sunt spelæa ferarū
 Quiq; homines, hominū nil nisi nomen habent!
 Scilicet insidia, fraude, dolique triumphat,
 Nec, nisi quod rigido, ius datur ense, viget.
 Exulat hinc Pietas, terrisque Astræa recessit.
 Fasque relegatum sub pedibusque iacet.
 Adde loci faciem; locus est inamabilis, & quo
 Libera vix risu soluere corda queas.
 Martius, heu! sanis ardet furor undique bellis!
 Nec numerat plures altera terra neces.

Hosti-

LIBER TERTIVS. 215

Hostibus in medijs inter gladiosque facesque,
 Hac geris arma manu qua seris arua manus,
 Quis velit in tantis tolerare laboribus annos,
 Sortis & assiduis ictibus esse scopus?
 Hei mihi decretos iam dudum expleuimus annos!
 Tempora cur fati sunt ita lenta mei?
 Tempora cum numero (numero qua sepius exul)
 Iure graues damnat nostra querela moras:
 Nec scio qua caecas hebetem obtuina mentes,
 Omnia queis longi sunt sua vota, dies:
 Crediderim misera nescire pericula vita,
 Nec quam sit grauis hinc condicione locus
 Nam bona sideret si nossent maxima mundi.
 Arceri patria se quererentur humo.
 Sed procul absentes caelestia gaudia fallunt,
 Raraque de Caelo nuncia rumor habet. (ris)
 Hei mihi, quam procul his distas, mea patria ter-
 Quam procul à Caeli finibus exul agor?
 Exulibus quondam tellus fuit ultima, Tybur;
 Me profugam fati ultimas orbis habet.
 Et nondum infastas colui satis incola sedes.
 Squallentes tenebris tristitiaque domos?
 Sexta Ceres casis quoties procumbit aristis,
 Seruus ab Hebraeo pilea sumit hero:
 Cur ego non etiam seruili emancipor agro?

O 3: Et

Et rudis immunem verberare virga facit?
 Cur patrie fines, portusque relinquere cogor,
 Nec sinor aetherios exul adire lares?
 Deserit externas peregrina Ciconia sedes,
 Inque suas reuolat per mare uecta, domos.
 Nuncia veris auis, nidos quoque mutat hirundo,
 Cum redit ad notos Bistonis ales agros.
 Vrbe relegatus, patrijs Antistius oris,
 Redditus, exilij sine fauente, fuit,
 Hei mihi, cognatis cur exul ab arceor astris?
 Nec sinor illa meo tangere regna pede?
 Lux mea, rumpe moras, satis his habitauimus oris
 Aut quo non potui corpore, mente ferar.



AVGVSTINVS

Serm. 43.

De verbis Domini.

SVnt duo tortores animæ non simul tor-
quentes, sed cruciatu alternantes. Horum
duorum tortorum nomina sũt timor & dolor.
Quando tibi benè est, times; quando male est,
doles.





Quid enim mihi est in caelo, et a te quid
Volui super terram. Psalmus.

C. Blancus fecit.

360

VIII.

Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? *Ad Rom. 7.*

Infelix! ubi nunc bona tot, qua per dita p'āgo,
 Sed frustra, planctu non reuocanda meo?
 Tot bona! quid repetis dolor? ah! meminisse nocebit:
 Amissa cruciant dum memorantur opes.
 Vtilius veteris fortuna nescius esses,
 Cum mala fors fato deteriore premit.
 Passim hominum satyra est, decepti noxa parentis,
 Stultitia: solus scilicet ille reus.
 Adam Adā simplex; Adam Adā uxorius audit,
 Pluribus, aut totidem vapulat Eua probris.
 Non ego sic: sed, si gemitus sinit edere vocem,
 Pars, fateor; mundi in crimine, magna fui.
 Te quoque, cui primos studium damnare parentes,
 Peccati memorem conuenit esse tui.
 Cum vita, & mortis non felix alea iacta est,
 Collusor proavi dilapidantis eras,
 Credite posteritas, Adam vos estis, & Eua;
 Et vestra pomum corripere manus.
 Hinc nudi, gens pellicea dignissima zona,

Et

Et pudor & dolor, & Numinis ira sumus.
 Non querar accepta tot publica vulnera cladis,
 Materies elegis sum satis apta meis.
 Ordior à cunis; hic mecum lacryma nata est;
 Hic docuit vitæ syllaba prima, queri.
 Mensis erat Maius, mensis gratissimus orbi,
 Sed, mea si reputem fata December erat,
 Septima lux ibat, quæ si suprema fuisset,
 In cineres isset muta querela meos.
 Cum tādē post luctū vteri, horribilesque ululatus,
 Progenies ceruæ parturientis eram.
 O Mater, scio, tūc Mater, noua facta Rebecca es?
 Tunc serus subiit virginitatis amor.
 Dirigit nutrix, pallens pater ora retorfit,
 Et cunæ in laeuum procubuere latus.
 Horror et horror erat, vox omnibus, omnib⁹ una,
 Heu puer, heu quantis gignitur ille malis!
 Atra dies Aegyptiaca dignissima nocte.
 Quà de me, licuit dicere; Natus homo est.
 Atra dies! neque te Titan, neque Cynthia norit,
 Nec statura qui Cœli tempora, lanus agit.
 Illa dies, abeat graias orsura Kalendas,
 Nullus eam cupiat mensis, habere suam.
 Si redeat, redeat piceis frontem obsita nimbis,
 Et gelidum densa grandine tansa caput.

Tunc

Tum tonitru & fulmen funesto aduerberet igitur,
 Et sibi sic hostem nouerit esse Deum.
 Sentio iam, quod fatidici plorastis amici:
 Mentitur vita, cleftydra nulla mea,
 Tanti erat hæc soboles, lacrymis assueuimus indè,
 Indè, oculos raro deseruere meos.
 Nā postquā posita est pretexta, nuce s'q, trochusque
 Et bulla ad patrios uictima facta lates,
 Tunc ego, quæ melius nescirem, discere cœpi:
 Primus erat, sortem plangere posse, dolor.
 Et vix posse datum est, sæpè obtuctata fuit mens,
 Natura impatiens sub pede colla premi.
 Surgere sæpè adnixa, suoque irrumperè Cælo,
 Nec poterat pigra tollere corpus humo.
 Tum vibrans oculos, oculos tristi imbre natantes,
 Ab superi! dixit (cætera fletus erant)
 Et rursum ah! ah! (sed per luctisonos singultus
 Ipse sibi obsistens non sinit ire dolor)
 Sic puto Rex fremuit, dum crescere cornua sensit
 Qui bos ex homine est, de boue factus homo.
 O Deus, o superi, patientia vincitur, o quis,
 Qui me mortali corpore soluat; erit?
 O quis erit? nostris qui cantet in auribus, istud
 Quod voueo toties, ilicet, o quis erit?
 Ille, necaturum mihi mergat in ilia ferrum,

Pocula Theſſalico miſceat ille fauo.
 Nec liquido plumbo, nec auaro terreoꝝ uncoꝝ,
 Mors miſera quauis conditione placet.
 A Eratos gemitu doceam mugire iuuencoꝝ,
 Suppoſito quamuis excrucienda rogo,
 Aut etiam iubeat (quamquam pudor iſta vouere)
 Inter vlyſſeos exululare lupoꝝ.
 O Deus, ò ſuperi, patientia vincitur: ò quis
 Qui me mortali corpore ſoluat erit?
 Parce Deus, ne crudelem vox impia iactet,
 In furias quando præcipitata ruit.
 Hic propè barbaries poterit clementia dici,
 Ad pœnas veniat ſi ſtupefacta meas.
 Corpora corporibus coniunxit mortua viuus
 Ille hominem, quem vix dicere fama poteſt.
 Me viuum cruciat (magis hoc ferale) cadauer?
 Nec, qua diſſidium ſiniat hora, venit.

AMBRO.

LIBER TERTIVS.

223

AMBROSIVS

Serm. 22.

in Psalm. 118.

Quomodo viuit anima operta mortis in-
uolucro?



COZI



Coarctor autem e' duobus: desiderium habens
dissolui et esse com Christo. Ad Philip. i.

C. Blancus fec.

39.

Coa

Q

Terr

la

Sed p

Pr

Perg

N

Aspi

Vt

Dist

Vt

Non

Q

En pe

Et

Sape

Vt

Et di

I X.

Coarctor è duobus, desiderium habens dissolui,
& esse cum Christo. *Ad Philip. 1.*

Quid faciam gemini flammata cupidine voti?
Anteferam terras? anteferamne Polum?
Terra tenet, Cælum reuocat, lis magna moratur
Iamq; volantē animū pondere membra premūt.
Sed procul illecebræ; semel impete rumpere nodum
Præstat, et è vinculis eripuisse pedes.
Pergite festina pertexere stamina Diva,
Nec Leibo clausæ sint veniente fores.
Aspice, lux, quantum luxentur brachia nisu;
Utque ferè à membris distrahar ipsa meis.
Distrahar ut mediam tibi me coniungere possim;
Vnaque sit saltem pars tibi nexa mei.
Non sinis; & vides nil proficientia vota,
Quodque negas toties, vis tamen vsque peti.
En peto quod renus, geminasq; exporrigo palmas,
Et tibi quas nequeo neclere, tendo manus.
Sapè mihi de te, mendacia dulcia fingo,
Vincula ceu posita compede fracta forent:
Et dico, meus his, prendique & prendere certas,
Meque,

Meque, sed ut video, dissimulanter amat.
 Tam bona credulitas erat haud indigna favore,
 Debueratque meos expediſſe pedes,
 Si tamen implicitam pedicis, cupis uſque teneri,
 Hic ego conatu deficiente cadam.
 Aſt redit, & velut allabens ſe ſe ingerit ultrò,
 Spemque iterum nunc ſollicitante facit,
 Surgam ſupremumque amplexibus obuia curram,
 Collaque, furtiua fraude, negata petam.
 Quam propè, quam propè ſum: veſtis pars ultima
 Iam puto, vicina prædere poſſe manu. (tacta eſt)
 O amor! ò dolor! affectum deludis hiantem,
 Decipit amplexus mobilis aſura meos!
 Et licet aut digitis tribus aut vix quatuor abſis,
 Semotus medio crederis orbe mihi:
 Nempe pater Pelopis ſic poma fugacia captat,
 Poma datam toties fallere docta fidem.
 Dum modò prona arbor patulo ſuper incubat ori,
 Osque iterum, fructu decipiente, fugit.
 Ludicra res Amor eſt, fallique & fallere gaudet,
 Sed fraus ſupplicio non caret illa ſuo.
 Decepti, quo tormento crucientur amantes
 Exemplo poterit diſcere quiſque meo:
 Quique alium ludit (ſed rarum eſt iſta fateri)
 Ipſe ſuo patitur vulnera facta dolo.
 Nescieram,

Nescieram mea, lux; iſtis te fraudibus uti,
 Sed nimis expertam iam ſua pœna docet.
 Ut canis indomita iactans ceruice catenas,
 A populo ſolui prætereunte rogat;
 (Ni faciat, querulis ululans latratibus auras,
 In ſua conuerſo vincula dente furit)
 Sic queror & ſupplex toties ad vota recurro,
 Ut præſtes, quam me poſcere cernis, opem.
 At poſtquam implacido vertiſti lumina vultu,
 Nec placuit pedibus demere vincla meis.
 Clamauit; ò truculentum & inexorabile pondus!
 Quin etiam dicta eſt ſepè catena nocens.
 Hâc trahat Antolycus, trahat hâc furiaſ Ore-
 Aut qui tardipedes vertit in antra boues. (ſtes,
 Sentiât hanc Scyrica damnatus rupe Prometheus;
 Aut Scinis, aut ſcelerum quis feritate prior.
 Scilicet à nimio venit hæc dementia luctu,
 Error & hic ſe ſe quo iueatur, habet.
 Compeditibus facile eſt ſæuoque ignoſcere ferro
 Durior at vinculis qui ligat illa, ſuis.
 O ubi littorea vincit qui rupe puellam
 Bellerophon volucris retulit ales equo?
 En ego barbarice conſtringor mole catena
 Seruus ut à rigido transfuga vincit hero?
 Et quoties patrias aſſurgere nitor in auras,
 P Depri-

Deprimor hospitij pondere victa mei.
 Nempe ita dat pueris captus ludibria passer.
 Dum fugit & reuocant fila reducta fugam,
 Et licet è domini cœnè ve, bibat ve labellis,
 Mauelit in syluas liber abire suas.
 Sic quamuis nitida pasta bene corte palumbes,
 Anteferant cauea rusque, nemusque sua.
 O mea si lacrymis mollescere vincula possent!
 Dudum, essent lacrymis mollia facta meis.
 Lux mea, tende manus; contra tibi tendo catenas
 Has nisi qui vinxit soluere nemo potest.



CHRY-

CHRYSOSTOMVS

Homil. 55.

Ad Pop. Antioe.

Q Vousque hic erimus *affixi*? adherescimus
terrae tamquam vixerimus, in cœno vo-
lutamus: corpus de terra nobis Deus contulit,
vt ipsum & in cœlum reuehamus, non vt ani-
mam per ipsum, *ad terram detrahamus.*



*Educ de custodia animam meam ad
confitendum nomini tuo! Psal. 142.*

C. Blancus f.

40.

Edu

L

Hic

It

Pes

O

Que

D

Sicc

R

Oq

In

Sæp

F

Visa

H

Sed

N

X.

Educ de custodia animam meam, ad confi-
tendum nomini tuo.

Psal. 141.

Libera qua potui spatioſo ludere Cælo,
Cernis, ut anguſto carcere clauſa premar?
Heu dolor! ut miſeras me lux effudit in auras;
Ipsa loco caueæ membra fuere mea.
Pes compes, manicaque manus, neruique catena,
Oſſaque cancellis nexa cataſta ſuis.
Quo mihi cognari natiua repagula clauſtri,
Dammur ut hoſpitiy carcere vineta mei?
Siccine, more Chelys, breuibus tegar abdita cõchis?
Regia cui Celi vix ſatis ampla domus.
O quoties queſita fuga fuit anſa pudenda!
In votis quoties reſtis & vnda fuit.
Sæpè quidem raptò felix Lucretia ferro,
Fauſtaque combibito Porcia dicta foco eſt,
Viſa nec Aſſyria triſtis mihi ſica puella,
Heu nimis in geminas prodiga ſica neceſ!
Sed negat hæc animis Numen ſolatia capris,
Nec ſinit hæc vinctos fata præire via.

P 3 Ergo

Ergo Syracusis malim iacuisse cauernis.
 Aut Danaes rigida delituisse sera:
 Nec verear curui Cretae volumina septi,
 Vnde citam rapuit Dedalis ala fugam.
 Immeriti profugus damnet pia claustra rigoris
 Quae sibi sollicitam non renuere fugam.
 Si mihi siderijs pateat vel rimula tectis
 Non querar immites aetheris esse fores.
 Donec at haec captam retinent ergastula mentem,
 Mens nequit agnati templa subire poli.
 Quin sueta imperijs iacet hic captiua voluntas,
 Nec bona quae vellet, vincula velle sinunt.
 Euge semel nostra mea lux, succede catasta,
 Quantula sit nobis experiere domus.
 Si tamen insidiae, vel aliena repagula terrent,
 Fac pateat dempta ianua laxa sera.
 Captiuum gemitu fertur reuocasse Magistrum,
 Oblitus cauea psittacus ipse sua.
 Eia graues resera, noue lane Patulcie, vectes;
 Non erit haec dextra gratia prima tua.
 Angelico memini, patefactas impete portas,
 Claustraque suffractis dissiluisse seris;
 Cum stupuit lapsas manibus, pedibusque catenas,
 Vixque Petrus patulas credidit esse fores.
 Nullus obit nostris obses vadimonia vinculis?
Liberat

Liberat Herculea Thesea nullus ope ?
 O ubi nunc Minyis fidissima turba maritis
 Vincula pro captis ausa subire viris !
 Aut qui Vandalicis obses ergastula nervis,
 Ipse sui capitis iussit abire lytro ?
 Lux mea, pande fores in amœnaq; claustra resolve
 Et sine sidereas a: heris ire vias.
 Aut spectanda tuò vis ducar præda triumpho,
 Vt Scycticus cauea pompa Tyrannus erat ?
 En manus, en digiti rimis hiscentibus extant,
 Cur ego non digitos tota manumque sequor ?
 Qua caput, hac reliqua subrepat cauda colubræ,
 Cur mihi serpentis lubrica pellis abest ?
 Cortis obit toties volucris captiua fenestras,
 Et notat an tacita rima sit vlla fuga;
 Nexaque sollicitans furtiuo vimina rostro,
 Natiuas memorum tentat adire domos.
 O Catharis, niueique polo comes agminis Agnes
 O casta Ursulidum, Sophiadumque cohors !
 Vos ego, dimidium vestri modò nobile testor
 (Dimidium vester quod sibi iunxit amor)
 Pandite ferratos, ergastula barbara postes,
 Inserir ut vestris dimidiata choris.
 Dimidium felix, vinculis socialibus exors.
 Cui licet in plenas iam caluisse faces !

Lux mea tam durum residet tibi pectore ferrum,
Vt neque captiva commoueare prece?
Nō ego, sed nostræ Tu maxima caussa querela es;
Spectat enim laudes ista querela tuas;
Nō bene conueniunt rigidis tua carmina clathris,
Quis queat in cauea cantibus esse locus?
Libera quæ cantat vernis avis Attica syluis,
Capta silet, solitos nec ciet ore modos.
Eia age, pãde fores in amœnaque claustra resoluas
Et sine sidereas ætheris ire vias.
Aut tua si cupidam præconia dicere temnis,
Inuidus in laudes efficiere tuas.



GREGORIVS.

C. 17. in c. 7. Iob.

C Arcere homo circumdatur, quia plerumque
& virtutum profectibus ad alta exurge-
re nititur, & tamen carnis suæ corruptione
præpeditur.



Quemadmo-



Quemadmodum desiderat cervus ad
 fontes aquarum, ita desiderat anima mea
 ad te, Deus. Psal. ci.
 C. Blancus f.

41.

XI.

Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes
aquarum, ita desiderat anima mea
ad te Deus. *Psal. 41.*

S Cire cupis, mea lux, quibus intus amoribus urar
Quantaque flamma tui pectora nostra coquat?
Nec satis extulero sitientis imagine prati,
Aut viola, nimio quae iacet vsta die.
Nec satis aestifera depinxero fulmine stella,
Cum canis ardenti sidere torret humum.
Ab! quam puluerea Libyes patiuntur arena,
Aestuat hac, nostro sicciore, sitis.
Siccior Icaro quam dum canis imminet, astro,
Aut viola tosto flos cadit vstus agro.
Vis dicam, mea lux, quam te meus ardor anhelet?
Cervus ut irrigui fontis anhelat aquas.
Nempe venenifero pastus serpente medullas,
Cervus agit totis hausta venena fibris,
Aut humeros tincti traiectus arundine teli,
Carpitur infesta viscera tacta lue.
Ille furit, pectusque citatus anhelitus vrget.
Cecaque per sylvas saucius antra petit.

Antra

Antra petit fugiens salientibus humida lymphis
 Ut sua fontano guttura rore lauet .

Hic rivi scatebris fumantia temperat ora
 Pellit & amne sitim, pellit & amne luem .

Haud aliter scelerum mihi mē; temerata veneno
 Tela venenata combibit uncta manu .

Et modò combibitum populatur pectora virus .
 Ardet & in tacito noxia flamma sinu .

Nempè graues, animi sunt toxica vindicis, ira,
 Et tua quæ iaculas tela venena Venus .

Quæq; grauant nimio spumantia pocula Baccho,
 Pocula quæ diro gramine pota necant .

Aspicias ut tumido turgescunt pectora fastu?
 Pectoribus fastus virus inane tumet .

Quo sitiens igitur peterem de flumine lympham,
 Cum mea tam varium viscera virus edit ?

Ab; nisi te, nullo sitis hæc placatur ab haustu,
 Tu potes hanc solus fonte domare sitim .

Scis etenim mea lux, quàm, te meus ardor anhelet,
 Cervus ut irrigui fontis anhelat aquas .

Cervus odorisequi fugitiuus ab ore Molossi,
 In laqueos nullo sæpè sequente ruit :

Tū densam aspiciens venatum, hinc indè coronã
 Tela super, saltu corpora fertur agens .

Exoritur clamor que canum, strepitusq; sequētum
 Ille

Ille fugit, tergo cornua celsa locans;
Ambiguusque pauet ne sit comprehensus, & ipsa
Qua iam praterijt tela, canesque timet.
Respectansque metu, per saxa, per auia currit,
Ignis atque illi spiritus ore micat.
Guttur aequo ardenti flagrant arenia lingua,
Quaque sitim releuet, querit anhelus equam.
Tum fontis medijs venas rimatus arenis,
Fontano rabidam mergit in amne sitim.
Et bibit & potis large se proluit undis;
Haurit & exhausto robur opemque lacu.
Sic ego tartareis cingor, mea vita, sagittis,
A Egraque flammata torreo ora siti.
Hinc puer Idalius, premit hinc ad retia Bacchus,
Et multa ancipitem trudit vterque cane.
Sublimes leuis hinc suspendit Gloria casses,
Hinc tumidus pedicis fallere tentat Honor.
Inde cohors magnis sociorum hortatibus instat,
Et docet exemplo crimina quisque suo.
Hei mihi quot circum venabula stricta minantur!
Ceu fera, cum cincto clausa tenetur agro.
Mille vias repetens, infraque supraque pererro,
Si qua mea pateant hospita lustra fuga.
Tum mihi per siccas sitis aestuat ignea venas:
Et sensim vapidas decoquit igne fibras.

Fontis

Fontis inops igitur ad flumina quaque recurro,
 Flamma sed hac nullo flumine victa fugit.
 Sic cadit obscenos miles defessus in haustus,
 Sit licet infami turbida lymphaluro.
 Sperabam effossis aestum compefcere rivis,
 Aestus at infusa gurgite crevit aqua.
 Qualis in amne leuem sectatur faucibus undam
 Tantalus, & fallit, quam dedit unda fidem.
 Mobilibusque inhiat, deluso gutture, lymphis,
 Semper aqua locuples, semper egenus aqua.
 Scilicet, haud simili calor hic extinguitur haustu,
 Nec domat hanc coeni turbida lymphasitum.
 Coelestes animus sitit insatiabilis undas,
 Cervus ut irrigui fontis anhelat aquas.
 Ite igitur nigro torpentia flumina stagno,
 Non bibit è vili gurgite nostra sitis.
 Ite graues Stygijs serpentibus, ite, lacune,
 Noxia Tartareis flumina pasta vudis:
 Ite, sitit superi dias mens fluminis vudas,
 Cervus ut irrigui fontis anhelat aquas.

Lib. 5. in Ioan. cap. 10.

Salutaris nimirum aqua, quæ noxiam huius mundi sitim & vitiorum ardorem prorsus extinguit, sordes omnes peccatorum eluit, animæ nostræ terram cœlesti imbri irrorat atque fœcundat; & ad solum Deum anhelos spiritu mentem humanam sitientem reddit.



Quando



Quando veniam et apparebo ante
faciem Dei. Psal. 41

C. Blancus f.

42.

XII.

Quando veniam & apparebo ante faciem Dei.

Psal. 14.

Ah quoties, mea lux, mihi seria verba dedi-
Nulla secuta tamen, seria verba fides! (sti,
Euge breui venies, toties dixisse recordor;
Adde fidem verbis, dic semel, Euge veni.
Heu mihi, quam longa sunt expectantibus hora!
Plus cuius spatio creditur vna dies.
Iam, mea lux, lapsi menses, tot aguntur et anni,
Speremque facis toties, sperem tamen usque negas.
Quid miseram spuiystam lentis ferreus vris?
Et toties, paruo hic tempore dicis, eris.
Iam lacerant falsis me publica compita sannis.
Et tuus ille Deus dic, vbi? quisque rogar.
Quando igitur veniam? quando tibi libera sistar?
Quando adstabo, oculis obuia facta tuis?
Aspicis ut misero consumar squallida luctu?
Qua careo facies haec mihi damna facit.
O facies animi crudele mei tormentum!
Vnica qua praesens esse me delata potes.
O quando, facies toto spectabilis orbe,

Q

Quando

Quando tuo dabitur lumine posse frui?
 Scilicet ut grauis est terris, absentia Phœbi,
 Squallet et obscurus, sole latente, dies:
 Nec color est hortis, nec amœnis gratia syluis,
 Iamque silent homines, iamque siletis aues:
 Mox ubi purpureo roseum caput extulit ore,
 Lata micat radij, luce nitente dies;
 Et suus est hortis color, & sua gratia syluis,
 Iamq; strepunt homines iamq; loquuntur aues:
 Sic ego, te viso, moriens, mea vita, resurgo;
 Vnaque non viso protinus emorior,
 Sapè iubes, alio me pascere lumina vultu,
 Multaque conspectu corpora pulcra refers.
 Aspice prata, inquis, formosos aspice flores;
 Picta mei multum prata coloris habent.
 Aspice ceruleo palantes aethere stellas;
 Ha quoque de nostro lumine, lumen habent.
 Aspice et humanis præstantia corpora formis;
 Est meus humano multus in ore decor.
 Siccine, Lux, nostris sperasti illudere votis?
 Falsaque supposito vendere frustra vitro?
 Non ego pellicior mortalis imagine forma,
 Ah, mea fax facies est, mea vita tua?
 Illa ò digna Deo facies: grauis ille suavi.
 Mixtus in ore timor, parque timoris amor,
 Illa

Illa supercilij maiestas dia, cadentum
 Cœlitum prono quàm colit ore tremor.
 Nam quota pars tanti sedet vlla in frõre decoris,
 Lux mea, quanta tua fronte, genisque sedet?
 Ah, neque si faciem coeat decor omnis in vnam,
 Tanta sit vllius gratia, quanta tua!
 Lux mea splendor quanto supereminet astris
 Lucifer, & quanto Cynthia Lucifero,
 Ipsaque quanto iterum superatur Cynthia Phæbo,
 Tanto formosis omnibus ore prais.
 De tribus id melius narrabit testibus vnus,
 Qui tibi tum comites vertice Thabor erant;
 Cum testata Deum facies tibi flammea luxit,
 Cinxit & auratas fax radiata comas:
 Nempe aliquis tanta captus dulcedine lucis,
 Et nimio forma saucius igne tua;
 Immemor & patriæ, oblitusque suiq; suorumque
 Optabat stabiles figere monte lares.
 Nec tamen augustum, qualis, quantusque videri
 Cœlitibus solitus, viderat ille Deum.
 Viderat aërios absistere vultibus ignes,
 Vt solet accenso candida mica foco.
 Viderat ardentem rutilantem vertice flammam,
 Quale laceffitum Sole refulget ebur.
 Viderat, vt placidis Lucina videris in undis,

Cum tuus in nitidis fluctuat ardor aquis ;
 Aut qualis pelago Cœli vibratur imago ,
 Vnda repercussi cum tremat igne poli .
 Quid dicturus erat, tota si luce coruscas
 Vidisset circum tempora bina faces ?
 Quid si oculos? quid si faciem sine nube micantem?
 Quodque polo facies lumen utroque iacit ?
 Quando erit ille dies, mea lux, rex ille dierum,
 Numinis Ambrosio cum sinar ore frui ?
 Sæpè quidem vestros specto sub imagine vultus,
 Cum vultus obeunt spica merumque tuos .
 Magna, equidẽ fateor, tamẽ imperfecta voluptas,
 Pro facie, faciem nube regente frui :
 At mihi mens alio stimolata cupidine flagrat,
 Ardet, et innubes læta videre genas .
 Quando erit ergo dies, cum te, sine nube, vid. bo ?
 Impedient faciem vela nec vlla tuam ?
 Solaque, qua fueras animo libata voluptas,
 Tandem oculis etiam percipiere meis ?
 Illa dies, fausto si quando affulserit astro .
 Iuro, erit his oculis carior illa dies .

AUGUSTINVS

In Psalm. 43.

S inuenis melius, quam videre faciem Dei,
illuc te Præpara. Væ tali amoru tuo si
vel suspicaris aliquid pulcrius, quam est ille,
a quo est omne pulchrum, quod te teneat, ne
illum cogitare merearis.



Q 3 Quis



Quis dabit mihi pernas sicut col-
umbæ, et volabo et requiescam. Psalmus.

C. Blaeuw fecit

XIII.

Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam? Psal. 54.

M Agne opifex rerum, generis mortalis origo,
 Corpora, nostra tua sunt fabricata manu.
 Sit tamen aduersis liceat contendere verbis,
 Quos habeant nauos corpora nostra querar.
 In tria ius homini vastissima regna dedisti;
 In Maria, in terras, ætheriasque domos:
 Tanta sed ut iustis tria regna gubernet habenis;
 Non quantum hæc poscit machina, robur habet.
 Parce, parùm timido temeraria verba loquenti,
 Plus operi vitij, quàm reputetur, inest.
 Momus abesse homini, fertur doluisse fenestram;
 Cætera tam nitida membra probasse domus:
 Sed fueritne foris, fueritne foraminis usus,
 Lis erit arbitrio Mome, secunda tuo.
 Officit humane me iudice, corpus edi.
 Nulla quod obsequium squamma vel ala ferat.
 Nō quod opus squammis ut terra regatur & alis:
 Imperium terra squamma nec ala inuat.
 Sed simul ætherias homo cum moderetur habenas

Q 4 Et

Et simul aquorea cerula sceptrā plaga;
 Quā nisi sint pinna, tumidas reget arte procella,
 Quā nisi sint penna nubila lege premet?
 Ut volet, aëria volucris petit ardua penna,
 Piscis ut aquor aret, squammea pinna facit.
 Sed neq; pinna vices homini, neq; pēna ministrat
 Et simul hic fluctus et simul Astra reget?
 Nec pelago piscis, neque nubibus imperat ales.
 Cur opus his penna, remigioque fuit?
 Scilicet ingenij minus, orbis & artis haberet,
 Ni streperet pennis stridula musca suis.
 Nec stabili geminus penderet cardine mundus,
 Bina nisi querulas ala mouer et apes.
 Quid quod & in triplici volucrū vilissime, regno
 Principis instar, iter Mergē natator, agas:
 Et modo graminea pedes expatieris in herba;
 Mox auis, alia petas; mox f. eta nauta, seces.
 Quin potius triplicis cessit tibi regia mundi,
 Per tria qui pennis hospita regna volas?
 Aut tria si fuerint hominis loca credita cura,
 Cur homini, triplici non licet ire via?
 Cerulus aquorei Nereus pater ipse profundi,
 Non nisi squammigeris, currere fertur equis:
 Iuppiter aerium qui flectere fingitur orbem,
 Aetheris, ipse vehens alite, carpit iter.

Nec

*Nec leuitas hominem celeri fert plumea penna,
 Nec liquidas pinna remige findit aquas.
 Et flectet geminum iustis sine viribus, orbem
 Aethere factus auis, factus in amne ratis?
 Ut tamen undifraga careat moderamine pinna,
 (Plurima cum pinnis corpora cassa natent)
 At sine p̄apetibus nulli patet ardua pennis,
 Quae patet aligero Regia sola grege:
 O liceat vacuas mihi tollere corpus in auras,
 Altaque siderae visere regna plage!
 Aspice, quos inter iaceat mea patria mores,
 Indignus patriae nomen habere locus.
 Aspice, nec quod amem volucres mirabere p̄nas,
 Me grauior, quam quae Persea causa mouet.
 Pegaseis utinam rapiar super aethera plantis,
 Aut moueat volucres Perseos ala pedes!
 Aut agiles humeris aptes mihi, Dadale, ceras,
 Icarijs quamuis fabula labar aquis!
 Aut lapsas agitem pennato pectore plumas,
 Quas vulsit vario picta columba sinu!
 Astra columbinis meditabor protinus alis,
 Et ferar ante tuam, Iuppiter, ales auem.
 O stulta volucres, gens nata palustribus vlnis,
 Sueti cauernosos turba natare lacus!
 Non ego si, vestras mihi Dædalus applicet alas,
 Littora*

Littora vel scopulos imaque saxa legam.
 Non ego, flumineis volitem leuis accola ripae,
 Aut mea percussas penna flagellet aquas.
 Non mea torpentes circum volet ala paludes:
 Ut proprior segnes radit hirundo lacus.
 Non mea, ceu moestis Ceyx dum plangitur undis,
 Humida vicino se lauet ala freto.
 Persequar aetherium sublimior ales Olympum,
 Altaque mox solitis nisibus astra petam
 O quondam felix hominum, modò turba volucrum,
 Quos amor, in celeres iraque vertit aues
 Cur mea non capiunt agiles quoque brachia plumas,
 Induit aut motas hispida penna manus?
 Quot ludunt liquidis examina plumea campis,
 Aligeroque secant nubila celsa pede;
 Si mihi, Nise, tuo plumescant brachia fato,
 Cruraue Scyllaeis vestiar hirta comis;
 Si leuis Aonio fierem certamine pica.
 Aut, Cytheraea, tua verterer ales aue;
 O mea si tangant aliquod suspiria Numen,
 Muter ut in pennas casta columba, tuas
 Scilicet aduecta, ceu Chaonis, ales, oliua
 Repperit nota recta Noeae ratis;
 Protinus aligeris raperer super aethera velis,
 Nostra nec has iterum viseret ala plagas.

AMBRO.

AMBROSIVS

Serm. 70.

Volare non potest nisi quod purum leue
atque subtile est, cuius nec sinceritas in-
temperantia retardatur, nec a lacritas, nec velo-
citas mole grauatur.





Quam dilecta tabernacula tua, Dñe
 virtutum: Concupiscent et deficit anima
 mea in atria Domini Psal. 87
 C. Blancus f.

44.

XIV.

Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum!
concupiscit, & deficit anima
mea in atria Domini. *Psal. 83.*

O Qui sidereas ducis fortissime turmas,
Cui cingunt decies millia mille latus!
Quàm tua Regifico radiant Pretoria luxu!
Mens stupet, & tanta languet amore domus.
Mœnia Tenario defendent marmore muros,
Limina sunt Parius portaque celsa lapis.
Vestibulo rutilant adamantum lumine valvæ,
Amplaque magnificus culmina splendor habet.
Fulgurat excelsis fulvum laquearibus aurum,
Et camera aurata cedrina fulva trabe.
Tectum augustum, ingens gemmisq; auroq; superbum;
Quale putes ipsum posse decere Deum
Stratus humi calcatur onyx, vitreique plateas
Stellarum fundant marmora fulva globi.
Iam sua remperies placido mitissima Cælo est;
Qualis vti vernis aura tepet Zephyris.
Nec glacialis hiems tremulo pede pulsat Olympum
Iæta nec hiberna grandine tecta sonant.

Nec

Nec pallent viso moritura sole pruina,
 Nec stant marmoreo flumina vineta gelu;
 Nec coquit aestiui Cererem iuba saua leonis,
 Solstitij medius nec furit igne dies.
 Nec viridis folijs sanguis fernore recedit,
 Nec tostus nimio sole fatiscit ager.
 Perpetuum ver astra colunt, frigusque, caloremque
 Inter, Coelicolae tempora veris agunt.
 O qui sidereas habitas, Rex maxime sedes,
 Quam tua praeter terris inuidiosa domus;
 Quin absunt gelidi brumae intractabilis imbres;
 Quique rigat madidos imbrifer haedus agros;
 A Eoliaque silent animae tranquilla per alta.
 Quassaque nec venti murmure spica tremunt.
 Stat placidus positus Aquilonum flatibus aether,
 Servat et aeternus longa serena tenor.
 Sed neque flammam es liquido lauat aequore currus;
 Nec subit occiduas Sol fugitiuus aquas.
 Nec premit astra dies, neque Sol fugat aethere stel-
 Nec premitur lassus nocte fugante dies. (lass)
 Nulla polos tacitis nox obruit atra tenebris.
 Nigraque subducto somnia sole vocat.
 Exulat aethereis longe nox horrida terris.
 Et nitet aeterno lumine clara dies:
 Clara dies, iucunda dies, septemplice Phœbi
 Fulmi-

Fulmineam nostri lampada, luce pre mens.
 O qui sidereas habitas, Rex maxime sedes;
 Quàm tua præ terris inuidiosa domus;
 Sollicita procul hinc posuere cubilia cura,
 Et metus et tristi luridus ore dolor;
 Et caput atrato luctus velatus amictu,
 Lessus & impexis nenia mæsta comis.
 Et labor & toto gemitus proscriptus Olympo,
 Et lis & rabidi iurgia rauca fori,
 Rixæque, inuidiæque, cruentaque sanguine bella.
 Monstraque, quæ secum plurima bella trabunt
 Pauperies febrisque, famesque sitisque luesque.
 Quæque sequi solita Martia castra neces.
 Hic clausa Bello portæ, & sine militis armis
 Otia coelicola mollia pacis agunt.
 Non galeæ non scuta micant, non classica clangunt,
 Mitescunt positis aurea sacra tubis.
 Tabificique absunt, examina pallida morbi,
 Quæque cohors Letho præuia sternit iter.
 Quin etiam Letho interdictum moenibus urbis,
 Nec quidquam in Superum corpora iuris habet
 Latitiæ data cura domus, quæ sedula fletum
 Elysij longè finibus arceat agri.
 Instruit auratis conuiuia Regia mensis.
 Quas recreant festis gaudia sancta iocis.

Non quia Cœlicola dapibus ieiunia soluant,
 Aut ullus Superum proluat ora liquor.
 Absque epulis hic omnis amor compressus edendi,
 Omnis & absque meri munere pulsa sitis.
 Non istis temerant Superi conuiuia mensis,
 Aut Regio similes suggerit illa dapes.
 Elysium sine carne epulas Bacchoque ministrat
 Cœlicolumque venit nullus in ora cibus.
 Cœlestes onerant, incognita fercula lances,
 Quales nemo hominum, contigit ore cibos.
 Ambrosia, Superos hilarat, quis nescio, succus,
 Dius et ætherio nectare potus alit;
 Sicque super strato æternum discumbitur ostro,
 Gaudet & auratis gens epulata toris.
 Gaudet, et Angelicos placidis bibit aurib⁹ hymnos
 Et salit, & rutilam sub pede plaudit humum.
 O qui sidereas habitas Rex maxime sedes;
 Quot tua delicijs affluit illa domus?
 Iam flagrat, & studio nimis inflammata videndi
 Mens desiderio deficit ægra suo.

BONAVENTURA

Soliloq. cap. 4.

O Anima quid dicere valeo, cum futurum
gaudium adspicio? iam pœnè præ admi-
ratione deficio, quia gaudium erit intus & ex-
tra, subius & supra, circum & circa.



R

Fuge



Fuge dilecte mi, et asfnilare ci aprea,
 hannu. oqz ceruorum super monte is aroma-
 tum Can. 8.

C. Blaucus f.

45,

Fug

O

O m

Q

Non

Sed

V

Hae

E

Paro

S

Sipo

S

Ergo

N

Tra

N

XV.

Fuge dilecte mi, & assimilare capreae hinnu-
loque ceruorum super montes aroma-
tum. Cant. 8.

O Cyus aspectu, mea Lux, te proripe nostro;
Ardeo, nec tantas mens capit ista faces.
O mala, quae dudum timui tibi dicere verba!
Quam mea Lux mallet dicere posse mane.
Non etenim tua me praesentia tempore lassat,
Ah sine te, grauis est qualibet hora mihi.
Sed prohibent nimis incendia dulcia flammis,
Vel fuge, vel nocuam Lux mea, conde facem.
Hac mihi Tu, fateor, si iussa aliquando dedisses,
Examini misero lapsa dolore forem.
Parce iubet sauis Amor ignibus, haud ego mando,
Stare velim totos in mea vota dies;
Si possem, cuperem non per suadere quod hortor,
Si potes, inuitas aure repelle preces.
Ergo mane, mea lux, monitis neque flectere nostris;
Nec, precor, audieris quae modo iussa dedi.
Trans mare praecipites rapiant verba irrita Cauri,
Non mea, sed stolidi verba fuere motus.

R 2 At

At prohibet rapidus fibras qui pascitur ardor;
 Aestuo nec tantas mens capit ista faces.
 Ergo fuge & celeres pedibus praeuerte capellas,
 Anteuola ceruos, anteuola hinnuleos.
 Sed fuge respiciens, tamquam discedere nolles,
 Ut qui spectari, dum fugit, antè cupit.
 Dius in Ephremi cum pectore ferueret ignis;
 Non ego par flammæ, quin fugis, inquit, Amor?
 Ille triumphato clarus Xauerius Indo,
 Saucius aethera pectora saepe face;
 Cœlestis quoties ardebat arundinis ictu,
 Ah satis est, satis est! dicere sœtus erat.
 Cum flagrat Iuuenis sceptri laus magna Poloni,
 Corda rigat gelidis Stanesilans aquis.
 Quid mea pectoribus compono pectora tantis?
 Non ego sum toti lux mea, par pharetra.
 Carpe fugam, pedibusque leues praeuerte capellas,
 Anteuola ceruos, anteuola hinnuleos.
 En iuga vicino cœlos tangentia cliuo,
 Thuris ubi madido cortice gutta tumet;
 Cedrus ubi, Laurusq; & copia plurima Myrrhæ,
 Mixtaque puniceis Cynnamaleta crocis.
 Huc fuge pennigeris super alta cacumina plantis,
 Seu tua, Mons Amanæ, Libane siue tua?
 Alta super inuenum fastigia Seraphicorum,

inuenum

Che-

Cherubicosque apices, Astraque summa super
 Scilicet insoliti non sunt his montibus ignes,
 Pectora quos imis vallibus ista timent.
 Vna potest flammare meas scintilla medullas,
 Non ego par totas, lux mea, ferre faces.
 Carpe fugam, pedibusque leues praeuertite capellas,
 Anteuola ceruos, anteuola hinnuleos.
 Sic tamen, ut fugiens oculis huc saepe recurras,
 Longius a spectu nene vagere meo.
 Qualis at oppositum spectat soror aurea Phoebus,
 Cum plus de radijs, quo magis distat, habet.
 Parce, suas vires mea lux, vitiumque fatenti,
 Nec tecum possum viuere nec sine te.
 Ardeo si properas, rigeo si fugeris, hei mi,
 Et procul, & praesens, igne geluque nocet!
 Quid facies, mea lux, sine te non esse valenti?
 Fac caleam, toto non tamen igne cremet.
 Ergo fuge, alipedesque celer praeuertite capellas,
 Anteuola ceruos, anteuola hinnuleos.
 Interea viridem fabricabor arundine cannam,
 Et referet laudes fistula facta tuas.
 Post, ubi vox longo modulamine fessa silebit,
 Ore silente nouum dextra capeffet opus.
 Arboribusque meos folijsque insculpet amores,
 Amborumque vno cortice nomen erit.

R 3 Scriptaque

Scriptaque præteriens ne noscat signa viator,
 Littera confusum nomen vtrumque reget.
 Post opus hoc; reliquæ si quæ super hora diei,
 Illa mihi in somnos hora quietis erit.
 Sic tamen ut vestri sit mixtus imagine somnus,
 Et mihi stes clausos peruigil ante oculos.
 Dum loquor, en tacitis gliscunt incendia flammis,
 O cyus ingrata lux mea carpe fugam.
 Carpe fugam, veluti cuperès tamen ante videri;
 Vique breui redeas, non Tibi dico Vale.

A M B R O S I V S

De bono mortis cap. 5.

Hortatur (anima) vt fugiat sponsus, quia
 iam sequi potest etiam ipsa terrena fu-
 gientem.

SYL-

SYLLABVS ²⁶⁵

LIBRI PRIMI

GEMITVS

ANIMAE POENITENTIS.

I.

Anima mea desiderauit te in nocte. *Isaia*
26.

II.

Deus tu scis insipientiam meam, & delicta
mea & te non sunt abscondita. *Psalms. 68.*

III.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus
sum, sana me Domine quoniam conturbata
sunt ossa mea. *Psalms. 6.*

IV.

Vide humilitatē meam, & laborem meum
& dimitte vniuersa delicta mea. *Psalms. 24.*

V.

Memento quæso quod sicut lutum feceris

R 4 me,

me, & in puluerem reduces me. *Iob. 10.*

V I.

Peccaui: quid faciam tibi, ò custos hominum! quare posuisti me contrariū tibi? *Iob. 7.*

V I I.

Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum? *Iob. 13.*

V I I I.

Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte. *Hiere. 9.*

I X.

Dolores inferni circumdederunt me, præoccupauerunt me laquei mortis. *Psalms. 17.*

X.

Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. *Pf. 142.*

X I.

Non me demergat tempestas aquæ. neq; absorbeat me profundum. *Pf. 68.*

X I I.

Quis mihi hoc tribuat ut in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus. *Iob. 14.*

X I I I.

X I I I.

Numquid non paucitas dierum meorum
finietur breui? dimitte ergo me vt plangam
paululùm dolorem meum. *Iob. 11.*

X I V.

Vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissi-
ma prouiderent. *Deut. 32.*

X V.

Defecit in dolore vita mea, & anni mei in
gemitibus. *Psal. 30.*

S Y L L A B V S

L I B R I S E C V N D I

V O T A

A N I M A E S A N C T A E .

I.

Concupiuit anima mea desiderare iustifi-
cationes tuas. *Psal. 118.*

I I.

I I.

Vtinam dirigantur vię meę ad custodiendas
iustificationes tuas. *Psal.* 118.

I I I.

Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non
moueantur vestigia mea. *Psal.* 16.

I V.

Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs
enim tuis timui. *Psal.* 118.

V.

Auerte oculos meos ne videant vanitatem.
Psal. 118.

V I.

Fiat cor meum immaculatum in iustificatio-
nibus tuis, vt non confundar. *Psal.* 118.

V I I.

Veni dilecte, mi, egrediamur in agrum com-
moremur in villis. *Cant.* 7.

V I I I.

Trahe me post te, curremus in odorem vr-
guentorum tuorum. *Cant.* 1.

I X.

Quis mihi det te fratrem meum fugentem
vbera matris meę, vt inueniam te foris, &
deosculer te, & iam me nemo despiciat. *Cant.* 8.

X.

X.

In lectulo meo per noctes, quæsiui quem diligit anima mea; quæsiui illum, & non inueni.

Cant. 3.

X I.

Surgam & circuibo ciuitatem; per vicos & plateas, queram quem diligit anima mea; quæsiui illum & non inueni. *Cant. 3.*

X I I.

Num quem diligit anima mea vidistis? paullulum cum pertransissẽ eos, inueni quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam.

Cant. 3.

X I I I.

Mihi autem adhærere Deo bonum est; ponere in Domino Deo spem meam. *Psalms. 71.*

X I V.

Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi.

Cant. 1.

X V.

Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena. *Psal. 136.*

SYL-

SYLLABVS
LIBRI TERTII
SVSPIRIA
ANIMAE AMANTIS.

I.
A Diuro vos filiae Ierusalem si inueneritis
Dilectum meum, vt nuncietis ei, quia
amore languo. *Cant. 5.*

I I.
Fulcite me floribus, stipate me malis, quia
amore languo. *Cant. 2.*

I I I.
Dilectus meus mihi & ego illi, qui pascitur
inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur um-
brae. *Cant. 2.*

I V.
Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius?
Cant. 7.

V.

Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est. *Cant. 5.*

V I.

Quid enim mihi est in Cælo, & à te quid volui super terram? *Psal. 72.*

V I I.

Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est; habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea! *Psal. 119.*

I X.

Coarctor è duobus, desiderium habens dissolui & esse cum *CHRISTO* *Philip. 1.*

X

Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo! *Psal. 141.*

X I.

Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. *Psal. 41.*

X I I.

Quando veniam & apparebo ante faciem Dei? *Psal. 41.*

X I I I.

Quis dabit mihi pennas sicut columbe, & volabo

labo & reqniescam ⁊ *Psal.* 94.

X I V.

Quàm dilecta tabernacula tua, Domine vir-
tutum; concupiscit & deficit anima mea, in
atria Domini! *Psal.* 83.

X V.

Fuge dilecte mi, & assimilare capreae hinnu-
loque ceruorum, super montes aromatum.
Cant. 8.

F I N I S.

ov 323
ou 1

F

Pra

C

quat

rint

rena

facta

fiden

mei

162

FLORENTIVS

DE MONTMORENCY,

Præpositus Prouincialis, Societatis IESV per
Flandro- Belgicam.

Cum Pia desideria à P. Hermanno Hugone
Societatis IESV Sacerdote conscripta,
quatuor designati eiusdem Societatis Patres lege-
rint, probarintq; , potestate ab Admod. Reue-
rend. Patre nostro Mutio Vitellesco ad hoc mihi
facta, ut typis excudantur, permitto. In quorum
fidem has litteras, manu mea subscriptas. officio
mei sigillo munivi. Bruxella 28. Aprilis Anno
1627.

Florentius de Montmorency.

APPRO-

APPROBATIO CENSORIS.

HÆc Pia Desideria, Gemitus & Suspiria
 animæ Christianæ, Elegijs, Emblematis
 & S: Patrum scriptis illustrata à R. P. Her-
 manno Hugone Societatis I E S V Presbytero,
 pererudita sunt & solida, atque perlucidam se-
 mitam continent; qua æterna Veritas, & vera
 charitas, & chara æternitas obtineatur, ab his
 qui in tenebris & in vmbra mortis sedent ad
 dirigendos pedes nostros in viam pacis. Datum
 Bruxellæ 9. Idus Nouemb. 1628.

*Henricus Smeyers S. Theologiae Licentia-
 tus, Scholasticus Bruxellensis.*

M E D I O L A N I,
 Typis Philippi Ghisulfij Anno 1633.

ia
tis
r-
o,
e-
ra
is
d
m


A-

-

3.

7

M...





HUGONE

PIA DESIDERI

